BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
31
9 C
26

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanenſi Congregationis Clericorum Regularium MATRIS DEI.

TOMUS SEXTUS.

A S. JOANNIS BAPTISTÆ CONCEPTIONE USQUE AD TERTIUM PASCHA A CHRISTO POST BAPTISMUM, CELEBRATUM.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

VENETIIS MDCCLX.

APUD SIMONEM OCCHI

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

TABULA
CRONOLOGICA

in Tomos ſextum & ſeptimum, ſive in Hiſtoriam Evangelicam.

Anno	S. Joannes Baptiſta concipitur.	Ante
Mundi	Jeſus Chriſtus incarnatur.	Christ.
3998	Salvatoris Nativitas die vigeſi-	1
3999	ma quinta Decembris.	2
4000	Filius Dei die prima Januarii	Ante
Anno	circumciditur.	Æram
Christi	Magi Chriſti incunabula vene-	vulgarē
1	rantur.	4
	B. Mariæ Virginis Purificatio.	3
	Fuga in Ægyptum.	
	Infantium cædes.	
	Archelaus regnat loco Herodis.	
4	Incipit Æra Vulgaris (a).	Æræ
10	Archelao in Galliam amandato	vulgaris
	Judæa per Procuratores regitur.	7
12	Jeſus in Templo invenitur.	9
17	Auguſto ſuccedit Tiberius.	14
29	Pontius Pilatus excipit Gratum,	25
	& Caiphas Simonem.	
	S. Joannes Baptiſta Præcurſorem	
	agit.	
30	Jeſus Chriſtus baptizatur, & in	26
	deſertum ſecedit (b).	

(a) Vide infra c. 5. n. 5. & 6.
(b) Ibidem n. 7. & 10.

A.C.		Æ.V.
	Andreas & Simon primo vocantur.	
	Nuptiæ in Cana Galilææ.	
	Primum Jeſu Chriſti a baptiſmo Paſcha.	
	Nicodemus Chriſtum adit.	
31	S. Joannes Baptiſta in carcerem truditur.	27
	Mulier Samaritana convertitur.	
	Simon, alias Petrus, & Andreas iterum vocantur.	
	Curatio Paralytici.	
	S.Matthæi vocatio.	
	Alterum Jeſu Chriſti Paſcha.	
	Sermo in monte.	
	Filius Viduæ Naim vitæ reſtituitur.	
	Mulier peccatrix convertitur.	
32	S. Joannes Baptiſta carcere detentus legationem ad Chriſtum mittit.	28
	Apoſtoli per diverſa Judææ loca diſcurrunt.	
	S. Joannes Baptiſta interficitur.	
	Jeſus Chriſtus quinque hominum millia prodigio paſcit.	
	Euchariſtia promittitur.	
	Tertium Chriſti Paſcha.	
	Transfiguratio Jeſu Chriſti.	
	Diſcipuli in varia loca mittuntur.	
	Chriſtus ad Feſtum Pentecoſtes,	

A.C. | Æ.V.

ac deinde ad alteram Tabernaculorum Solemnitatem Hieroſolymam ſe confert.

33 Chriſtus Lazarum ad vitam revocat. 29

Zachæus Jeſum domo recipit.

Die 19. Martii, Sabbato, Jeſus apud Simonem Leproſum cœnat.

Die 20. quæ eſt Dominica, triumphantis more Hieroſolymam ingreditur.

Die 21. Feria ſecunda, ficulneæ maledicit, & menſas in Templo ſubvertit.

Die 22. Feria tertia, varias exponit parabolas & Hieroſolymorum excidium, Mundique finem prædicit.

Die 23. Feria quarta, Judæi Chriſti mortem moliuntur, Juda ipſius venditionem paciſcente.

Die 24. Feria quinta, Jeſus ſupremum Paſcha celebrat, Euchariſtiam inſtituit, orat in Horto, capitur, & in Concilium adductus, reus mortis pronuntiatur.

Die 25. Feria ſexta, Jeſus a Pilato damnatus, in Crucem agitur.

To-

A.C.		Æ.V.
	Tota nocte Feriæ ſextæ, totoque Sabbato, ac parte noctis ſuccedentis, Jeſus in ſepulcro jacet.	
	Die 27. quæ eſt Dominica, Chriſtus a mortuis reſurgit.	
	Quadrageſimo a Reſurrectione die Jeſus in Cælum aſcendit.	

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

LIBER UNDECIMUS.

CAP. I. Novi Teſtamenti decus. Ortus S. Joannis Baptiſtæ prædicitur. Zacharias non erat ſummus Sacerdos. Gabriel ad Mariam Virginem mittitur. Verbi Incarnatio. Maria Eliſabetham ſalutat, & Dei laudes Cantico complectitur. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ. Zachariæ Canticum. Fueritne Martyr? S. Joannes deſertum petit. S. Joſeph de Maria ſuſpicit. Chriſtus de Virgine viro tradita naſci voluit. Mariæ Præſentatio. Perpetua S. Joſephi, & Mariæ Virginitas. pag. 1

CAP. II. Genealogiæ S. Matthæi, & S. Lucæ immerito reprehenduntur. Quæ repugnare videntur, conciliantur. Varia hujus conciliationis ſiſtemata. Omiſſa a S. Matthæo, ſupplentur. 20

CAP. III. Cenſus ab Auguſto indictus. Chriſtus naſcitur, & circumciditur, quem Paſtores, & Magi venerantur. Magorum ars, Religio, Patria, Dignitas, Numerus. 31

CAP. IV. Purificatio B. Mariæ. Innocentium cædes, & fuga Chriſti in Ægyptum. Item in Templo reperitur, ſubjectuſque parentibus Nazarethi moratur. 47

CAP. V. Variæ de annis Chriſti opiniones. Annus Herodis emortualis. Chriſtus natus eſt anno U.C. 749. Æra vulgaris incipit anno U.C. 754. Duplex annus Chriſti natalis. Chriſtus anno trigeſimo baptizatur. Duplex Tiberii Imperium. Chriſtus annum trigeſimum tertium agens obiit. Quæ contra ex tabulis Aſtronomicis objiciuntur, non ſunt attendenda. 61

CAP. VI. S. Joannes Baptiſta Præcurſorem agit, a quo Chriſtus baptizatur. Chriſti jejunium, & tentatio. Joan-

Joannis de Meſſia teſtimonium. Primi Chriſti Diſcipuli. 74

Cap. VII. *Nuptiæ in Cana celebrantur. Primum a Prædicatione Chriſti Paſcha. Templum tribus diebus excitandum. Nicodemus Chriſtum convenit. S. Joannes Baptiſta in carcerem traditur. Chriſtus Samaritanam inſtruit. Jeſus Capharnaum ſe recipit, ubi Petrum, Andream, Jacobum, & Joannem Evangeliſtam vocat, pluraque miracula operatur.* 93

LIBER DUODECIMUS.

Cap. I. *Piſcatio prodigioſa. Leproſus, & Paralyticus curantur. Matthæi vocatio. Alterum poſt Chriſti baptiſmum Paſcha. Curatio Paralytici ad Piſcinam. Sabbati violati calumnia. Duodecim Apoſtolorum electio.* 117

Cap. II. *Sermo Chriſti in monte. Beatitudines. Apoſtoli ſunt Sal, Lux, Urbs. Chriſtus non ſolvit Legem. Quid Gehenna ignis. Pax cum proximo colenda. Prava deſideria damnantur. Repudii finis. Perjuria. Lex Talionis reformata. Caritas in omnes. Intentio. Oratio. Liberalitas. Judiciorum temeritas. Porta cæli anguſta. Falſi prophetæ.* 139

Cap. III. *Leproſus, & Centurionis ſervus curantur. Filius Viduæ Naim vitæ reſtituitur. Joannes Baptiſta diſcipulos ad Jeſum legat. Jeſus convivio a Simone excipitur.* 155

Cap. IV. *Neceſſarii Jeſu Chriſti ipſum inſaniiſſe dicunt. Signum Jonæ. Variæ Parabolæ. Plura miracula. Apoſtolorum miſſio.* 173

Cap. V. *Joannes Baptiſta neci traditur. Quid Herodes de Jeſu ſuſpicatus fuerit. Chriſtus quinque hominum millia paſcit. Petrus ſuper aquas. Chriſtus ſe panem dicens, Euchariſtiam promittit.* 194

H I-

MONITUM.

MIrabitur equidem Lector, quid ſit, quod cum pluries ſe ſe obtulerit occaſio diſſerendi de pervulgata Hiſtoria Populi Dei, ſcripta a P. Iſaaco Joſepho Berruyer, aliiſque lucubrationibus ad ipſam ſpectantibus, ne verbulum quidem unum de iis fecerim, ac ſi numquam editæ fuiſſent, vel nil continerent quod Hiſtoriam utriuſque Teſtamenti, a me exaratam, reſpiceret. Sed reſponſio in promptu eſt. Quatuordecim ab hinc annis ſupremam manum operi meo impoſueram; illudque apud Bibliopolam, primum Neapoli, ubi primus tomus editus eſt; deinde Venetiis, ubi alii ſeptem, toto eo temporis ſpatio proſtraverat manuſcriptum, ut non potuerim illud novis curis recenſere, vel aliquid illi addere, quod ad Hiſtoriam P. Berruyer, alioſque libros, qui interim ad manus meas pervenere, pertineret. Nunc autem ne illius Hiſtoriæ connivere videar, quam merito damnatam ſcimus, unum ſaltem illius errorem perſtringam; qui tamen aliorum eſt veluti fons, illuſtrandæque meæ Hiſtoriæ magis inſerviet.

Igitur P. Berruyer duplicem ponit in Chriſto Filiationem: alteram æternam, qua ante omnia tempora Filius eſt primæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis; temporalem alteram, qua non ſolum ſit Filius B. Virginis Mariæ, ut

omnes Catholici credimus, ſed etiam, ut ipſe putat, Filius ſit totius Sanctiſſimæ Trinitatis, quatenus hæc operata eſt myſterium Incarnationis in puriſſimo Utero ejuſdem B.Virginis. Monet tamen, abſtinendum eſſe ab iis locutionibus: *Chriſtus eſt Filius Trinitatis; Filius ſui ipſius, Filius Spiritus ſancti*; ſed potius dicendum: *Filius eſt Dei unius in tribus perſonis ſubſiſtentis*. Hinc infert, quotieſcumque in ſacra Scriptura Chriſtus appellatur *Filius Dei*, debere ſemper intelligi de hac temporali Filiatione, numquam autem de æterna (*a*).

Falſitas autem hujus doctrinæ ex eo patet, quod ſervata verborum proprietate, ibi tantum admitti poteſt Filiatio, ubi propria communicatur ſubſtantia. Trinitas autem in myſterio Incarnationis neque humanam naturam Chriſto communicavit, quoniam Trinitas ea caret; neque communicavit divinam, quia Chriſtus eam ab æterno Patre ſemper habuit. Unde ergo illa Filiatio? P. Berruyer inter alia adducit pro ſua ſententia verba Archangeli Gabrielis ad Mariam. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*b*). His ſane verbis indicatur, Chriſtum idcirco vocari Filium Dei, quod non viri opera, ſed Dei virtute conceptus ſit. Ita P. Berruyer; cui reſpondeo, hanc interpretationem novam eſſe; nihil autem novitate pejus

(*a*) Tom. VIII. pag. 8. 47. 51. 89. 98.
(*b*) Luc. I. 35.

jus ubi de Fide agitur, aut de rebus ad Fidem pertinentibus. Dicendum igitur ex Veterum ſententia, ut alia occaſione notavit doctiſſimus Boſſuetus, non ideo Chriſtum vocari Filium Dei, quod virtute Dei conceptus ſit; ſed ideo Dei virtute conceptum fuiſſe, quod cum æterni Patris vere vocaretur Filius, & ſuprema fulgeret Sanctitate, indecens omnino erat ut communi hominum ratione conciperetur. Hæc germana illorum verborum interpretatio.

Ut quid autem P. Berruyer cenſet, quoties occurrit in ſacra Scriptura hoc nomen *Filius Dei*, intelligi debere de Filiatione temporali? Quia, inquit, ſi intelligendum eſſet de Filiatione æterna, illis qui nomen iſtud proferebant, manifeſtum fuiſſet myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, cum tamen ſciamus, illud Hebræos latuiſſe. At nego, latuiſſe S. Joannem Baptiſtam (*a*), S. Petrum (*b*), S. Martham (*c*), ut ſileam de Patriarchis & Prophetis, aliiſque quos Deus clariori revelatione dignos fecerat (*d*). Ad alios quod ſpectat, puta quoſdam nautas, & nonnullos dæmoniacos (*e*), ſi illi ignorabant myſterium Trinitatis, ignorabant etiam myſterium Incarnationis, quare neutram Filiationem ſpectantes, propterea Chriſtum appellabant Filium Dei, quod eximia Sanctimonia niteret, miraque patrandorum prodigio-

(*a*) Ioan. I. 34. (*b*) Matth. XVI. 16.
(*c*) Joan. XI. 27 (*d*) Calmet. Dict. VV. *Trinitas*, & *Memra*, & paſſim Theologg. & Interpretes. (*e*) Matth. XIV. 33. Marc. III. 12. V. 7.

digiorum virtute. Quid ergo ex hujuſmodi hominum teſtimonio colligi poteſt pro fulciendo P. Berruyer ſyſtemate? Opportune autem hic notanda venit doctrina S. Thomæ, quod ſcilicet qui dicitur Filius ratione generationis, non debet appellari Filius ob creationem, vel ſanctificationem: *quia quod de aliquo dicitur ſecundum perfectam rationem, non eſt dicendum ſecundum rationem imperfectam* (*a*).

Nec aliquid evincit P. Berruyer, obſervando, quod illa vox ſuper Chriſto baptizato, *Hic eſt Filius meus dilectus* (*b*), efformata fuerit a tota Trinitate, cum ſit opus *ad extra*, juxta Theologorum effatum; quaſi ipſa tota Trinitas Chriſtum declaret ſuum eſſe Filium: non evincit, inquam: nam *formationem vocis tota Trinitas operata eſt*; *ſed tamen in voce declaratur ſolus Pater ut loquens; ſicut naturam humanam ſolus Filius aſſumpſit*. Ita idem S. Thomas (*c*); cujus doctrinam in iis etiam quæ Gratiam ſpectant, ego ſociique mei, ex præſcripto V. P. Joannis Leonardii noſtri Fundatoris, ſequi gloriamur; ut pura putaque impoſtura ſit, quod auctor cujuſdam famoſi libelli nuper ſcripſit, ſcilicet Congregationem Matris Dei in Jeſuitarum caſtris Duce Molina militare.

H I-

(*a*) 3. p. q. 32. ar. 3. (*b*) Matth. III. 17.
(*c*) 3. p. q. 39. ad 2.

HISTORIA

UTRIUSQUE TESTAMENTI.

LIBER UNDECIMUS.

Novi Teſtamenti decus. Ortus S. Joannis Baptiſtæ prædicitur. Zacharias non erat ſummus Sacerdos. Gabriel ad Mariam Virginem mittitur. Verbi Incarnatio. Maria Eliſabetham ſalutat, & Dei laudes Cantico complectitur. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ. Zachariæ Canticum. Fueritne Martyr? S. Joannes deſertum petit. S. Joſephi de Maria ſuſpicio. Verum inter ipſos conjugium. Chriſtus de Virgine, viro tradita, naſci voluit. Mariæ Præſentatio. Perpetua S. Joſephi & B. Mariæ Virginitas.

CAP. I.

I. AD Novum Teſtamentum, ſive Evangelicam Hiſtoriam, qua Jeſu Chriſti vita, Apoſtolorum geſta, & Eccleſiæ crepundia recenſentur, ventum tandem eſt. Vetus Teſtamentum, cujus narrationem hactenus proſecuti ſumus, Deum uno verbo omnia producentem exhibet; novum autem Deum pandit ſua morte Mundum reparantem. Illud Meſſiæ adventum promittens, hominum vota promovebat quidem, ſed non implebat, nec mun- *Novi Teſtamenti decus.*

Digitized by Google

di reparationem, cujus priores tantummodo rudioreſque lineas duxerat, perficere unquam potuit (*a*). Sed Jeſu Chriſto demum in Mundum veniente, & novo fœdere in veteris locum ſuccedente, ſtatim umbris depulſis lux refulxit, figuræ, & Prophetarum oracula impleta. Fœdus in monte Sinai initum, uni tantum domui Jacobi favebat; novum æque omnes filios hominum complectitur. Primum obſignatum eſt cruore arietum & taurorum; alterum ſanguine Filii Dei. Spiritus timoris & ſervitutis veterem Legem tenebat, amoris & filiationis, novæ eſt decus & privilegium. Illa ſtato tempore duratura, hæc æterna. Tandem Chriſti Evangelium præmia pollicetur perpetua, infinita, ſpiritualia, cæleſtia, cum peritura dumtaxat, limitata, corporea, terrena Lex Moyſis promitteret (*b*). Et quamvis Judæis ſpes eſſet alterius poſt præſentem vitæ, illius tamen felicitatem nonniſi per Fidem in Jeſum Chriſtum conſequi poterant (*c*).

ANNO MUNDI *3999.* Ante Æram vulgarem 5. *S. Joannis Baptiſtæ ortus prædicitur. Zacharias non fuit ſummus Sacerdos.*

II. Cum divinæ Providentiæ conſilio venturo in Mundum Meſſiæ Præcurſor pararetur, tanti viri ortus, nomen, & munus divinitus prænuntiatum eſt Herode rerum potiente. Zacharias Sacerdos ex Abiæ familia, & Eliſabeth uxor illius ad genus ſacerdotale pariter ſpectans, irreprehenſam vitam agebant (*d*). Filius illis non erat, ac vix ſperari poterat, cum

(*a*) Hebr. VII. 19. (*c*) Act. IV. 12. Vide

(*b*) Levit. XVIII. 5. hanc hiſtor. l. 4. c. 15.
Ezech. XX. 11. 2. Eſdr. n. 17.
IX. 29. (*d*) Luc. I. 5. &c.

cum Eliſabeth ſterilis eſſet, ambo vero ſenio laborarent. Quindecim igitur circiter menſibus ante Chriſti Dei & Salvatoris noſtri Nativitatem, cum Zacharias juxta conſtitutum familiarum ſacerdotalium ordinem ad Templum miniſtraturus veniſſet, ſortito electus eſt, ut in Altari aureo, in Sancto ante Sanctum Sanctorum poſito, thimiama per hebdomadam, bis de more in ſingulos dies, mane & veſpere, adoleret. Plures ex veteribus, ſicuti & nonnulli ex recentioribus, Zachariam ſummum Judæorum Sacerdotem fuiſſe credunt (a). At jam ferme omnes aliter ſentiunt. Nullus enim Pontificum catalogus Zachariam habet: munus, quod hic exercet, Pontificem non poſtulat: ipſaque denique ſortitio, qua thuris offerendi munus Zachariæ obtigit, illum non fuiſſe Pontificem oſtendit; functiones enim unius Pontificis propriæ numquam ſortibus committebantur, cum Pontifex numquam unus non eſſet. Suo itaque munere intento Zachariæ Gabriel Angelus a dextris Altaris, in quo thus adolebat, ſtantem conſpicuumque ſe ſe exhibuit. Zacharias eo viſo turbatus eſt; cui Angelus, ipſum confirmans, filium, in illius orationum præmium, ex Eliſabetha pollicetur, præcipiens ſimul, ut *Joannem*, *Deo* ſcilicet *Gratum*, vel abſolute *Gratioſum*, appellet. Prædixit inſuper, eum Nazaræum fore, & ab ipſomet matris utero Prophetam; qui Spiritu ſancto plenus, & Eliæ virtute inſtructus, populo quidem Meſſiam annuntiaret, & oſtenderet; Meſſiæ vero po-

A 2 pu-

(a) Berti de Theol. Diſcipl. l. 29. c. 3.

pulum ad pœnitentiam adductum, reformatumque juxta veterum Patriarcharum exempla & præcepta, pararet, exhiberetque. Zacharias ſuam & uxoris ætatem jam effetam cauſatus, ſignum promiſſi poſtulavit. Angelus, ſe Gabrielem eſſe, & a Deo miſſum, totius rei nuntium, declarans, loquelæ uſum ipſi ademptum fore, quouſque promiſſa complerentur, denuntiavit, quod ſuis verbis plenam ſubitamque fidem non præſtitiſſet.

Eliſabeth Joannem concipit.

III. Populus interim Zachariæ reditum e Sancto præſtolans, diuturnam moram mirabatur. Demum egreſſus, cum nonniſi nutibus populum excepiſſet, remque aliquam nequicquam exprimere conaretur voce, populus viſum ipſi portentum aliquod in Templo cenſuit. Abſoluta autem miniſterii ſui hebdomada, domum, in Hebron, uti quidem credimus, ſe ſe reſtituit Zacharias. Hujus viri Urbs nonnullis viſa eſt Hieruſalem, aliis Bethlehem, quibuſdam Emmaus, vel Macherus; ſed horum opiniones minus obtinent. Hebron autem in loco edito ſita erat, 22. milliaribus a Hieruſalem diſtans, qua Meridiem ſpectabat. Cum domum rediiſſet Zacharias, brevi Eliſabeth gravidam ſe agnoſcens, Deo quidem gratias egit, quod ſterilitatis notam a ſe depuliſſet; ſpatio tamen quinque menſium rem diſſimulavit, toto ſcilicet eo tempore quo ventris onus id permiſit. Parum fortaſſis honeſta videbatur in anu fecunditas (*a*).

IV.

(*a*) Luc. 1. 21.

IV. Sextus a concepto Joanne menſis decurrebat, cum idem Angelus Gabriel ruſſus miſſus a Deo venit Nazareth, urbem Tribus Zabulon, ad montis Taboris radices in Galilæa, ſiſtenſque ſe coram Maria Virgine, viro e Davidis familia, Joſepho nomine deſponſa, ipſam ſalvere juſſit, atque gratiarum ubertate plenam, Deoque cariſſimam, præque omnibus mulieribus feliciſſimam appellavit. Inopinata, & tam honorifica ſalutatione Maria turbata eſt, & ſacro quodam horrore perfuſa. Turbata eſt autem, vel quod virginum ſit omnes viri (cujus ſpeciem aſſumpſerat Angelus) ingreſſus, & affatus vereri; vel quod Gabriel ſua majeſtate plus nimio coruſcaret; vel quod metueret, ne tam magna pollicitus, non Angelus eſſet, ſed Diabolus, qui Hevam ſimili arte deceperat; vel tandem quod de ſe magnifica loquentem audire non ſuſtineret. Paventem primum Angelus confirmavit, ipſam Deo placere teſtatus; cauſam deinde encomiorum aperiens, monuit, ex ea filium mox oriturum, quem Jeſum, Liberatorem ſcilicet, vel Salvatorem, nuncuparet; illum vero magnum, Deique Filium futurum, appellandumque; quem Davidis ſolium, & Regnum Jacobi, Deo ita diſponente, æternum maneret (*a*). Alluſit Angelus ad Judæorum opinionem, temporale Meſſiæ Regnum præſtolantium qua forte mens Mariæ imbuta fuerat. Re tamen ipſa Davidis Regnum, & Jacobi domus, Eccleſiam, quam ſibi Chriſtus conſtituturus erat, figurabant.

Anno Mundi 4000. Ante Æra vulgarem 4

Gabriel ad Mariam mittitur.

V.

(*a*) Luc. I. 26.

Votum Mariæ de perpetua Virginitate.

V. Talia cum audiſſet Maria, non dubitans de rei veritate, ſed anxia de modo, quo hæc eſſent ventura, quæſivit ab Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* (*a*)? Porro ex his verbis Scriptores ſane multi tenent, B. Mariam virginitatem ſuam Deo jam voto conſecratam habuiſſe: femina enim, quæ virgo quidem ſit, ſed ſervandæ virginitatis propoſitum non habeat, ſi verba illa promittenti filium, ex ea naſciturum, reſponderet, inepte omnino, minimeque cohærenter loqueretur. Dubitari autem poteſt, an votum illud emiſerit antequam Joſepho deſponderetur, an vero poſt ſponſalia de illius conſenſu. Si priorem ſententiam eligas, ſupereſt adhuc inquirendum, utrum B.Virgo votum ſuum Joſepho, antequam ſponſalia cum illo celebraret, aperuerit? Si neges, dicendum erit, Mariam a ducendo Joſepho idcirco non abſtinuiſſe, quod ſciret, illum libenter in ſuam virginitatem conſenſurum.

Dei Filii Incarnatio.

VI. Interroganti igitur Mariæ, qui fieri poſſit, ut femina filium pariat, cui cum viris nihil ſit commercii, reſpondit Angelus: opus illud in ſe Spiritum ſanctum ſumpturum; qui, cum Omnipotentis Dei virtus ſit, vicariam viri operam præſtabit, efficietque gravidam, quin pudicitiam ipſius vel minimum lædat; hinc ex ea nonniſi id quod Sanctum omnino eſt, Deique Filium oriturum. Ut vero dictis ſuis Angelus majorem conciliaret fidem, oſtenderetque, nil eſſe quod fieri a Deo nequeat, manifeſtavit, Eliſabetham ipſius

(*a*) Luc. 1. 34.

ipſius cognatam, quam ſterilem norat, gignendiſque liberis ineptam, jam inde a ſex menſibus gravidam eſſe. (*a*) Ad quæ Maria: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum:* ſtatimque & Angelus evanuit, & ineffabile Incarnationis myſterium peractum eſt. Quamquam enim corpus Chriſti ſenſim formatum ſit, & novem menſium ſpatio in Virginis utero creverit, eo tamen temporis articulo, Filius Dei, ſive Verbum, ipſi Deo æternitate, dignitate, eſſentia, ac rerum denique omnium productione æquale, caro factum eſt (*b*), aſſumpto ſcilicet humano corpore, ex puriſſimis B. Mariæ ſanguinibus efformato, ſuaque anima, una cum illius potentis inſtructo, quo in Mundum prodiens, homines univerſos ſuæ Fidei luce perfunderet (*c*), juſque adoptionis Filiorum Dei omnibus in ſe credentibus largiretur (*d*). Tunc ſua fides ſtetit Iſaiæ oraculo: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*e*). Si autem id nominis *Emmanuel*, ſcilicet *Nobiſcum Deus*, non obtinuit Jeſus, ejus tamen nominis veritatem in ſe expreſſit; cum eſſet Deus ſimul & homo; idque miraculorum copia luculentiſſime oſtenderit (*f*). Solemnitatem hujus myſterii celebrat Eccleſia die vigeſimaquinta Martii; ex qua aduſque diem vigeſimamquintam Decembris, qua Salvator natus

(*a*) Luc. 1. 35.
(*b*) Joan. 1. 1. 2. 3.14.
(*c*) Joan. 1. 4. 5. 9.
(*d*) Joan. 1. 12.
(*e*) Iſa. VII. 14.
(*f*) Vide hanc Hiſt. l. 7. c. 8. n. 10.

creditur, novem menſes effluxere, tantum videlicet temporis ſpatium, quantum ſolent infantes in matrum utero detineri.

Maria Eliſabetham ſalutat. VII. Maria Deo feta Hebronem trium, vel quatuor dierum itinere contendit, non ut de rebus ab Angelo nuntiatis certior fieret, vel ut veritatem beneficii Eliſabethæ collati, ſuis oculis inſpiceret, quod nonnullis viſum eſt (*a*); ſed ut gaudium, quo efferebatur, cum cognata communicaret, illique ſupremis gravidatis menſibus inſerviret. In eo itinere alii comitem dant Mariæ gravem quamdam matronam, alii vero ipſius ſponſum Joſephum. Ingreſſa Zachariæ domum, cognatam officiis proſecuta eſt; quæ ad primam novæ hoſpitis ſalutationem, fetum in utero ſuo inuſitatis aſſultibus geſtire ſentiens, ſubito Spiritus ſancti lumine perfuſa, Dei Matrem adeſſe intellexit; quare, cum illam ſupra omnes feminas benedictam, ac benedicto infante fetam proclamaſſet, indignam ſe dixit, in cujus ædes Domini Mater ſuccederet, illam vero beatam, quod fidei merito id conſecuta eſſet, ut Mundi Salvatorem, juxta Dei promiſſiones per Angelum illi factas, ſuo tempore eniteretur (*b*).

Mariæ Canticum. VIII. Maria vatidico tunc Spiritu exundans, tota in Dei laudes effuſa eſt, ac excellentiſſimum illud canticum panxit, quod incipit: *Magnificat anima mea Dominum*. Agit in eo gratias Domino, fateturque ſe unice in eo lætari, quod Salvator tandem advenerit. Quid-

(*a*) Theophylact. Euthym. Bonavent.

(*b*) Luc. 1. 39.

Digitized by Google

quid in ipſa magnum eſt & excellens, quod mirabuntur populi omnes, & prædicabunt, ejus rei gloriam uni Omnipotenti Deo deberi aſſeverat, qui humilem illius conditionem, ac nullius pretii feminam aſpicere dignatus ſit, in eaque miſericordiam complere, quam in ſibi morigeros, per univerſas late hominum ætates, oſtendere conſueverat. Gaudet Deus, pergit illa, eos deprimere, qui ſuperbum inter ceteros erigunt caput, & illos viciſſim extollere, quos modeſte demiſſeque de ſe exiſtimantes videt; quemadmodum ſolet in pauperum ſinum bona quæque congerere, rerum vero copia luxuriantes ad egeſtatem redigere. Veteris conſuetæque clementiæ ſuæ reminiſcens, Salvatorem tandem miſit, qui Iſraelitas oppreſſione liberaret; cujus quidem beneficii fidem ſuam Abrahamo, ceteriſque Patriarchis & Prophetis, ex illius ſanguine ſatis obligare numquam ceſſaverat. En primum Novi Teſtamenti carmen, abſolutiſſimumque gratiarum actionis exemplar. Maria toto trimeſtri cum Eliſabetha commorata eſt (a). An autem cognatam reliquerit ante, vel poſt editum Joannem, non convenit. Opinionem negantem hæc probant. Si Maria partum Eliſabethæ expectaſſet, opus etiam fuiſſet ut & valetudinis tempus a ceteris incommodis partum conſequentibus expectaret, quamobrem & multo diutius quam tribus menſibus cum Eliſabetha ſubſtitiſſet. Dedecuiſſet pudicitiam, mundiſſimamque Mariæ virginitatem, apud puerperam manere,

(a) Luc. 1. 46.

re, illique parturienti obſequium & ſervitutem exhibere. S. Lucas Joannis Baptiſtæ ortum, nonniſi narrato Mariæ diſceſſu, deſcribit. Propius ergo vero eſt, Eliſabetham poſt Mariæ diſceſſum peperiſſe. Denique ſi Maria, pariente Eliſabetha, apud illam adhuc ſubſtitiſſet, occaſione tanti partus aliquid de Joanne vel dixiſſet, vel feciſſet, quod S. Lucas narrare non omiſiſſet.

Joannes Baptiſta oritur. Zachariæ Canticum.

IX. Abſolutis novem a conceptione menſibus, Eliſabetha puerum edidit; quare conſanguinei illius & propinqui ingenti lætitia perfuſi, gratulabantur ei felicem filii exortum, poſt tantas Zachariæ vices prodigioſum. Octavo autem die convenere, ut infantem circumciderent, & de patris nomine Zachariam appellarent; quibus mater obſiſtens: Minime vero, ait: Joannem nuncupari volo. Porro hoc nomen Eliſabetha divinitus dediciſſe creditur: ſi enim a Zacharia vel ſcripto, vel alia ratione intellexiſſet, id minime præteriiſſet mater, monuiſſetque omnino, ita velle Zachariam, & Gabrielem imperaſſe. Neceſſariis autem Eliſabethæ illius voluntati non acquieſcentibus, quod hujus nominis nemo in ejus familia recenſeretur, poſtulatus demum Zacharias, ut quid nominis filio imponi vellet, ſignificaret, mentem ſuam calamo aperuit, ſcribens: *Joannes eſt nomen ejus*: quod quidem omnibus mirum viſum fuit. Statim vero ac Zacharias pueri nomen pugillaribus inſcriptum edidit, recuperavit linguæ uſum, concinanſque divinas laudes, ait: *Benedictus Dominus Deus Iſrael.*

Hoc

Hoc in carmine Zacharias nequaquam dubitans, quin brevi pariturus eſſet Meſſias, cujus Præcurſorem in filio natum videt, Deo gratias agit, quod populum ſuum viſitans, eumque a malis omnibus, quibus premebatur, liberans, juxta ac per Prophetas, ipſumque gentis auctorem Abrahamum promiſerat, tandem Salvatorem e familia Davidis excitavit, qui validiſſimo brachio rebus afflictis opem ferret; ſub cujus imperio Judæi, hoſtium vexationibus depulſis, vitam agerent feliciſſimam, iis voluptatibus occupatam, quas in innocentia, pietatiſque exercitationibus mens experiri ſolet. Tum ad infantulum Joannem verſus, Prophetam eum, Præcurſoremque Meſſiæ futurum prædicit, qui eidem e cælo ex paterna ipſius erga homines miſericordia venienti, viam ſterneret, docens ſcientiam, qua ſalus acquiritur, prædicans pœnitentiam, qua peccatorum remiſſio obtinetur, ac tenebras fugans, quibus homines involuti ferebantur in exitium; ut per illius verba & exempla ad Chriſtum, in quo omnis noſtra felicitas & pax reperitur, iter nobis planius, commodiuſque aperiretur. Nedum autem Zacharias, divino Spiritu abreptus, hæc de Joanne vaticinatus eſt, ſed & quotquot de illius nativitate intellexerunt, religioſo quodam metu ac ſtupore admirantes prodigia, quæ ea occaſione contigerant, alter ad alterum dicebant: *Quis putas puer iſte erit* (*a*)?

X.

(*a*) Luc. I. 57.

An Zacharias martyrium paſſus ſit?

X. Nihil exinde de Zacharia & Eliſabetha Scripturæ. Scribit tamen S. Petrus Alexandrinus, Herodem, cum Jeſum ad necem quæreret; quæſiſſe pariter & Joannem, cujus exortus regionem adeo perculerat; eaque de cauſa Eliſabetham puerum in deſerta detuliſſe, ibique cum illo ſubſtitiſſe (*a*). Eadem refert Protoevangelium S. Jacobi, opus, ut omnes norunt, apocryphum; quod etiam addit, Herodem, qui Zachariam ea de re interrogarent, miſiſſe; cumque fruſtra ejus animum ſe tentare intelligeret, apprehenſum inter veſtibulum & altare, ibidem trucidare præcepiſſe; ſtatimque vocem quandam inſonuiſſe: Jugulatus eſt Zacharias, ejuſque ſanguis, quouſque ultor adveniat, non delebitur. Quamquam autem S. Hieronymi ætate ſanguinis veſtigia in Templo monſtrarentur, ille tamen nullam eis fidem adhibebat (*b*). S. Epihanius hæc ex alio Libro apocrypho refert. Zacharias cum thus adoleret, hominem aſini ſpeciem præſeferentem obvium habuit, cujus aſpectu territus, e Templo ſe proripiens exclamavit: *Væ vobis! quæ enim tandem adoratis?* Ne vero aliquid adderet, monſtrum manu os ejus claudens prohibuit. Poſtquam loquendi priſtinam facultatem, nato Joanne obtinuiſſet, myſterium iniquitatis prodere auſum Judæi in Templo occiderunt. Fabula hæc cultum aſininum redolet (*c*). Alii quod Meſſiam prædicaret; alii quod

(*a*) Caſaub. in Baron. xxiii. 35. Tillem. not. 2. in Jeſum.

(*b*) Hieron. in Matth.

(*c*) Epiph. hær. 26. Vide hanc Hiſt. l. 3. c. 8. n. 13.

quod Mariæ virginitatem poſt partum aſſereret, negaretque, illam Purificationis lege teneri, martyrio coronatum tradunt. Hac de cauſa veterum plerique, Zachariam Baptiſtæ patrem, unum eumdemque cenſent ac Zachariam Barachiæ filium, a Chriſto laudatum, cujus ſanguis inter Templum & Altare effuſus eſt; quæ tamen opinio multos nacta eſt adverſarios (*a*).

XI. Porro Joannes quo creſcebat ætate, eo creſcebat ſapientia & ſanctitate (*b*). Hinc nonnulli ſibi perſuadent, Joannem vel inter pueritiæ crepundia rationis uſum præditum fuiſſe. Certum profecto eſt, illum in ipſo matris utero ſanctificatum fuiſſe, & ab originali labe purgatum, ipſumque Chriſtum, in Mariæ ventre adhuc latentem, cognoviſſe, & quibuſdam motibus ſalutaſſe, uſumque proinde rationis per id ſaltem temporis habuiſſe: hæc enim & Scriptura inſinuare videtur, & nonnulli ex Patribus luculentiſſime tradunt (*c*). Utrum vero deinceps uſum rationis ſemper habuerit, non auſim affirmare; quod rationis uſus fugacis inſtar fulguris eſſe potuerit, ac ſtatim evaneſcere. Narrat S. Lucas, Joannem deſertum petiiſſe, in eoque uſque ad tempus, quo prædicationis munus ſuſcepit, moram traxiſſe. Quammaturrime domum reliquiſſe creditur, licet S. Paulinus id nonniſi ætate confirmatum, ac Lege, ſacrorumque voluminum lectione inſtructum præſtitiſſe, malit (*d*). *Joannes deſertum petit.*

XII.

(*a*) Vide hanc Hiſt. l. 13. c. 3. n. 7.

(*b*) Luc. 1. 80.

(*c*) Luc. 1. 15. 44. & 76. Vide Calm. ibidem.

(*d*) Paulin. Car. 5.

S. Joſephi de Maria ſuſpicio. Verum inter eos matrimonium.

XII. Mariam ex Hebrone Nazaretham remeantem, Joſephus fetam deprehendit; cumque myſterii divinæ Incarnationis eſſet omnino ignarus, perſpectamque illius pudicitiam & ſanctitatem haberet, curis angebatur quam vehementiſſimis; vimque paſſam fuiſſe, aut ignota potius aliqua ex cauſa, quam ex turpi flagitio, id quod cernebat, ortum, Vir ſanctus ſuſpicatus fuiſſe creditur. In tanta animi anguſtia id dumtaxat a ſe præſtari poſſe putavit, ex æquitatis legibus, ut ne quid de Maria judicaret, neve Legis rigori, lapidum ſcilicet pœnæ, illam ſubderet, aut palam diffamaret, ſed e patrio ſolo, aliquid cauſatus, ipſe diſcederet, aut clam, geminis tantum teſtibus, divortii libellum illi exhiberet; vel denique eam ſecreto moneret, ſe ſe datæ fidei renuntiare; quamobrem illi integrum eſſe, cui vellet nubere. Cum hæc animo ille verſaret, Angelus per quietem ipſum a cogitatis abſtineret, hilariſque Mariam exciperet, hortatus, aperuit, fetum, quo tumebat, ipſam non ex crimine, aut injuria aliqua, ſed e Spiritus ſancti virtute habere, brevique Filium ei parituram, quem idcirco Jeſum ipſe appellaret, quod per illum populi peccata delenda forent (*a*). Quamquam autem Joſephus & Maria numquam uſi ſint conjugii jure; verum tamen illorum conjugium fuit, quod teſte Auguſtino non in corporum, ſed in animorum conjunctione conſiſtit (*b*). Et quidem matrimonio illi

(*a*) Matth. 1. 18.

(*b*) De Conſen. Evang. l. 2. c. 1. de Nupt. & Concupiſ. l. 1. c. 11. Contra Julian. l. 5. c. 9.

illi nil deſuit ex iis quæ ad nuptiarum perfectionem deſiderantur; non proles, non fides, non ſacramentum. Prolem in Chriſto cognoſcimus; fidem quod nullum adulterium; ſacramentum, quod nullum divortium. Defuit ſane concubitus; ſed iſte ſuſcipiendæ proli neceſſarius non erat. Ceterum ſolemnis illa diſputatio, qua diſquiritur, an B. Virgo ſponſalium tantum, vel etiam matrimonii vinculo, antehac alligata eſſet Joſepho, omitti poſſet, ceu inutilis & fruſtranea. Deſponſæ enim apud Judæos tanquam apud nos nuptæ habebantur; nec aliud complendo matrimonio deerat poſt ſponſalia, quam cæremoniæ quædam & ſolemnes ſponſæ in domum viri traductio (*a*). Mariam vero ante Gabrielis legationem ex paternis in Joſephi ædes traductam fuiſſe, præeunte S. Thoma tenent complures (*b*). Si enim, inquiunt, extra viri ſui domum, & nondum nupta concepiſſet, tumentemque ventrem oſtendiſſet, a ſtupri ſuſpicione minime vacaſſet. Aliis tamen contraria omnia probantur, cum vetuſtiſſimus mos Judæorum fuerit ut ſponſæ in parentum domo multis ante nuptias menſibus manerent. Hinc cenſent, Mariam tunc primum, poſt depulſam ſcilicet Joſephi ſuſpicionem, in illius domum traductam fuiſſe (*c*). Verum prior ſenten-

(*a*) Selden. Uxor Hebraica l. 2. c. 1. & 8.

(*b*) S. Thom. 3. p. q. 29. art. 2. Vide Gotti, de Chriſto, & Maria c. 4. §. 5.

(*c*) Toſtat. Baron. Cajet. Lamy Calm. Baſnag. Spahem.

Digitized by Google

tentia potior videtur: nam puellæ, cum id rerum circumſtantiæ poſtularent, brevi poſt deſponſationem ad viri ædes deducebantur. Profecto Rebeccæ decem tantum dies conceſſi fuere (*a*).

Cur Mariæ in ſponſum datus ſit Joſephus?

XIII. Si apocrypha amplecteremur (*b*), aſſerendum nobis eſſet, Sacerdotes Templi, cui triennis Maria præſentata fuerat, volentes conjugem aliquem ei quærere, ſeu potius virginitatis, qua illam Deo adſtrictam norant, teſtem & cuſtodem adhibere, ex mandato, cælitus ſibi facto, omnes uxore viduatos ex Davidis familia acciviſſe, injungentes inſuper, ut virgam quilibet ſuam deferret, exploraturos, cujuſnam floreret virga, florentique virgæ Spiritus ſanctus in columbæ forma inſideret: quo indicio Mariæ deſtinatus a Deo ſponſus dignoſceretur. Cum igitur omnes conveniſſent, virga Joſephi florem emiſit, & Spiritus ſanctus e ſummitate virgæ volitans, capiti illius inſedit. Nec mora, B. Virgo Joſepho traditur. Verum hæc a S. Hieronymo inter deliramenta computantur (*c*). Præſtat igitur ut cum aliis dicamus S. Joſepho B. Virginem ceſſiſſe, quod cum illa heres eſſet, & Joſepho cognatione propinquior, ipſam ex divinæ Legis inſtitutione ducere teneretur (*d*). Deus tamen res ita diſpoſuit, ut B. Virgo in S. Joſepho dignum haberet ſuæ virginitatis teſtem & cuſto-

(*a*) Gen. XXIV. 55.

(*b*) Protevang. Jacobi, & Evang. de Nativ. Mariæ.

(*c*) Hieron. in Matth. I.

(*d*) Vide caput ſequens n. 1.

ſtodem. Alias etiam cauſas afferunt Patres, ob quas Chriſtus nuptam, vel ſaltem ſponſam elegerit, ut ſibi Mater fieret, quamvis e Virgine ille eſſet naſciturus. I. Ut Mariæ fama defenderetur. Quæ enim in populo dicteria ſparſa fuiſſent, ſi puella, nulli viro tradita, uterum gerens apparuiſſet? II. Ut Mariæ & Jeſu nutritius præberetur, & in itineribus dux. III. Ut divinus partus Diabolum lateret; quem ſi plane cognoviſſet, nunquam equidem tentaſſet, nec in illius necem Judæos impuliſſet, timore amittendi Regni ſui retentus. De Joſephi autem ætate nihil definire poſſumus, quamvis Evangelium Nativitatis B. Virginis, cum illi nupſit, ſenio jam laborantem proferat, majoremque tunc octoginta annis S. Epiphanius appellet. Facile tamen hac ætate minor erat, quo commodius Jeſu & Mariæ inſervire poſſet.

Præſentatio B.Virginis ad Templum.

XIII. Ceterum B. Virginem Deo in Templo a parentibus præſentatam fuiſſe, nulli dubitamus, cum vetus Eccleſiæ traditio, Feſtum in rei memoriam celebrantis, id inſinuet. An vero ibidem uſque ad nubilem ætatem fuerit etiam educata, in utramque partem diſputatur. Nullo ſane Scripturæ documento docemur, morem educandi puellas in Templo viguiſſe (*a*). Patres tamen nonnulli ſententiam affirmantem tuentur (*b*), quibus forte facem prætulit, non Apocryphorum auctoritas, ſed

(*a*) Goti de ver. Chriſti Nat. Epiphan. Hær. Relig. t. 4. p. 1. c. 3. §. v. 78. 79.
(*b*) Greg. Nyſſ. de

quædam Veterum traditio, aut Scriptura, quæ nos lateat. In hanc rem laudari ſolet illud, quod de Anna vidua refert Evangelium: *Non diſcedebat de Templo* (*a*): quaſi apud ſacram Ædem quidam locus fuerit, in quo mulieres perpetuo detinerentur. Sed alii cenſent, verbis illis id tantum ſignificari, quod ſcilicet Anna frequentiſſime ad Templum accederet.

Perpetua S. Joſephi, & B. Mariæ Virginitas.

XIV. Plures ex Patribus (*b*) credidere, S. Joſephum, antequam B. Virginem ſibi deſponderet, aliam duxiſſe uxorem, ex qua Jacobum Minorem una cum aliis, qui Jeſu Chriſti Fratres in Evangelio appellantur, ſuſceperit; quæ quidem opinio adverſatur integerrimæ Virginitati, quam ab illo perpetuo ſervatam docuit S. Hieronymus; cui ſententiæ nunc omnes Latini ſubſcribunt. Et quidem ſi Maria, Jacobi Minoris mater, fuiſſet prior Joſephi uxor, ut tenet ſententia contraria, cum hæc adhuc eſſet ſuperſtes tempore Paſſionis Chriſti, conſequeretur, ut Joſephus eodem tempore duas uxores habuiſſet; & cum ex eadem opinione illa Maria eſſet B. Virginis ſoror, vir ſanctus duas ſorores in uxores duxiſſet. Quod quis dicat? Ad Fratres autem Domini quod ſpectat, compertum eſt, conſanguineos omnes, etſi non fratres, fratres tamen vulgo, maxime vero apud ſacras Scripturas, appellari. Helvidius, Bonoſus, ac etiam Tertullianus, poſtquam ad Montaniſtas tranſiiſſet, ulte-

(*a*) Luc. II. 37.
(*b*) Euſeb. Epiphan. in Matth. XII. Hieron. in Helvid. c. 9. & Hilar. Ambroſ. alii apud

ulterius progreſſi, nedum S. Joſephi, ſed & B. Mariæ Matris Dei Virginitatem impugnarunt. Ex illis enim Matthæi verbis: *Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens*: ac etiam ex iſtis: *Non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum* (*a*): inferebant, Joſephum, poſt Salvatoris ortum, Mariam cognoviſſe, ac utrumque de conjugum more conveniſſe; id quod Calviniſtarum nonnullis probabile videtur. Sed hanc opinionem damnat Eccleſia, atque inter hæreſes amandat. Quis autem credat, aut B. Virginem Filio, qui Deus erat, contentam non fuiſſe, aut S. Joſephum adeo audacem, ut Spiritus ſancti Sponſam polluere tentaret? Ut vero objectis fiat ſatis, audias paſſim, aliquem interiiſſe, *antequam* ea quæ moliebatur, impleret: an idcirco poſt mortem implerit? Legas pariter, Chriſtum regnaturum, *donec* Pater ſub illius pedibus hoſtes ſtraverit (*b*): reputabis ne propterea, Regnum ejus deinceps ceſſaturum? Tandem nomen *Primogenitus* ei etiam aptatur, qui primus prodit ex utero, licet poſt ipſum nulli egrediantur, ut conſtat ex illo Domini præcepto: *Sanctifica mihi omne primgenitum* (*c*).

(*a*) Matth. I. 18. 29. Cor. XV. 25.
(*b*) Pſ. CIX. I. & I. (*c*) Exod. XIII. 2.

Digitized by Google

Genealogiæ S. Matthæi, & S. Lucæ immerito reprehenduntur. Quæ repugnare videntur, conciliantur. Varia hujus conciliationis ſiſtemata. Omiſſa a S. Matthæo, ſupplentur.

CAP. II.

Evangeliſtæ merito Joſephi genealogiam texunt.

I. GEminas habemus de Chriſto genealogias, alteram a S. Matthæo exaratam, alteram a S. Luca (*a*). Porro Matthæus ex Abrahamo ſumit exordium, deducitque generationum ſeriem per Davidem uſque ad Joſephum, virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus; Lucas vero auſpicatur a Jeſu, ac ordine retrogrado per Joſephum, & Davidem aſcendit, nedum ad Abrahamum, Hebræorum parentem, ſed ad ipſum quoque Adamum, totius generis humani auctorem. Ex iſtis autem genealogiis Porphyrius, Julianus Apoſtata, Celſus accuſandi anſam arripuere; quod hodie pariter ſervant & Judæi. Si Jeſus alterum habuit a Joſepho, quod Chriſtanis perſuaſum eſt; parentem, cur Joſephi genealogias texunt Evangeliſtæ? Si vero ex patre Joſepho natus eſt, quomodo Virginis Filius prædicatur? Quibus reponimus: Evangeliſtas Joſephi potius, quam Mariæ voluiſſe genealogias exhibere, quod alienum eſſet ab Hebræorum moribus, ut mulierum genealogiæ expanderentur. Præterea, Joſephus Criſtum ſibi adoptarat, adſciveratque in filium; ipſeque Chriſtus

(*a*) Matth. I. 1. 2. &c. Luc. III. 2. 3. &c.

ſtus jure propietatis ad Joſephum pertinebat. Maria enim, cum vero conjugii vinculo Joſepho eſſet addicta, id efficiebat ut & genitus ex ea, quamvis ſine humano ſemine, filius ad ipſum Joſephum, tanquam in ejus fundo natum germen ſpectaret; & Joſephus familiæ decora omnia in Chriſtum transfunderet. Quare jure meritoque Chriſtus in avorum Joſephi genealogiam, prærogativaſque, ac ampliſſimas illis factas a Deo promiſſiones, admittendus erat. Tandem, ſtatim ac dignoſcebatur, cujus ſtirpis eſſet Joſephus, patebat etiam, quam originem traheret Maria, cum aliunde conſtaret, ipſam ad illius domum & familiam pertinere (*a*), eique idcirco in uxorem fuiſſe traditam, quod vir ſanctus cognationis jure ceteris omnibus ipſi eſſet propinquior (*b*). Permiſſum quidem erat puellis Iſraeliticis, ad quas paternæ hereditatis jura non pertinerent, quaſcumque mallent nuptias extra Tribum etiam ſuam quærere; ſi tamen ad ipſas paterna bona devolverentur, non ſolum illis vetitum erat virum extra contribules ſuos, ſed vel extra familiam procurare; cujus rei propoſitum erat, ut hereditates in ſuis ſingulæ familiis conſervarentur (*c*). Quod autem ad Mariam avitæ hereditatis jura pertinerent, quamquam nulla ſuppetant ſacrorum Librorum documenta, vetuſtiſſima tamen traditione, cui

B 3 ne

(*a*) Luc. II. 5.
(*b*) Vide Caput ſup. III. 8. Chryſ. Epiphan. n. 12.
(*c*) Num. xxxv. 5. Tob. Grot. Calm.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EM. III ROMA

ne Judæis quidem refragari unquam ſuccurrit, receptum eſt (*a*); quam ſane traditionem fulciunt vetuſtiſſima Evangelia Nativitatis B. Virginis, & S. Jacobi, aperte notantia, Mariam unicam fuiſſe parentum ſuorum filiam. Sunt illa quidem inter Apocrypha computata. Sed cui bono ea circumſtantia ab Evangeliorum illorum Auctoribus conficta fuiſſet?

Chriſtus ex ſemine Davidis.

II. Cum igitur una eademque genealogia Joſephi & Mariæ avos exhibeat, conſilio ſuo oſtendendi Chriſti originem, nequaquam deſunt Evangeliſtæ. Ex Davide Chriſtus genus ſuum referebat, quod B. Virgo ipſius parens ad Joſephi familiam, familia vero Joſephi ad Davidem pertineret. Verum quando ex dictis Davidica Chriſti & Mariæ origo minus pateret, luculentiſſime profecto conſtaret ex Apoſtolo, de Chriſto dicente: *Qui factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem* (*b*). Cum enim Chriſtus ſecundum carnem unice ſit ex Maria, hinc ad genus Davidicum illam ſpectaſſe, evidentiſſimum eſt.

Chriſti genealogiæ ſibi invicem adverſari videntur.

III. Majus autem negotium faceſſunt Matthæus & Lucas, dum ad Davidem progreſſi, diverſam plane in deſcribenda Chriſti generatione ineunt viam, ut ſibi invicem repugnare videantur: quod patet ex ſubjecta tabella.

CHRI-

(*a*) Hilar. Euſeb. Cyrill. Eucher. Theophi lact. Grot. Calm.

(*b*) Rom. I. 3. Vide etiam Pſ. CXXXI. 11. Luc. I. 32. Joan. VII. 42. Act. XIII. 23. Apoc. XXII. 16.

Google

CHRISTI GENEALOGIA.

Secundum Matthæum.	Secundum Lucam.
David	
Salamon	Nathan
Roboan	Mathata
Abia	Menna
Aſa	Melcha
Joſaphat	Eliacim
Joram	Jona
Ochoſias	Joſeph
Joas	Juda
Amaſias	Simeon
Ozias	Levi
Joathan	Mathat
Achaz	Jorim
Ezechias	Eliezer
Manaſſe	Jeſus
Amon	Her
Joſias	Elmadan
Joachim	Coſan
Jeconias	Addi
	Melchi
	Neri
Salathiel	
Zorobabel	
Abiud	Reſa
	Joanna
Eliacim	Aſor
	Juda
Azor	Joſeph
	Semei
Sadoc	Matthatias
	Mahat
Achim	Nagge
	Hesli
Eliud	Nahum
	Amos
Eleazar	Matthatias
	Joſeph
Mathan	Janne
	Melchi
Jacob	Levi
	Mathat
Joſeph	Heli
	Joſeph
Jeſus	

Matthæus Chriſti genealogiam a Davide ducit per Salomonem, Lucas vero per Nathanem alium Davidis filium. Deinde Matthæus progenitores inter Davidem & Joſephum recenſet omnino diverſos ab iis quos refert Lucas, ſolis exceptis Salathiele, & Zorobabele, qui in utraque genealogia exhibentur; & nihilominus nonnulli etiam ibi geminos Salathieles, geminoſque Zorobabeles vident. Tandem Matthæus Joſephum Jacobi filium conſtituit, Lucas vero Heli.

Prima ſententia. IV. His difficultatibus evacuandis quatuor potiſſimum feruntur ſententiæ. Prima eſt Julii Aphricani (*a*), qui docet, Matthæum naturalis generationis ordinem tenuiſſe, Lucam vero legalis. Ad parentes autem Joſephi quod ſpectat, ita hæc genealogia explicatur. Mathan e Davide per Salomen ductus, & Melchi, ſive Mathat, e Davide per Nathanem latus, alter poſt alterum eamdem uxorem Eſtham duxere; quæ e Mathan Jacobum, e Melchi Heli procreavit, ut ii fratres fuerint uterini. Heli ducta uxore, quæ de nomine penitus ignoratur, ſine liberis deceſſit, cujus proinde viduam ex Legis præcepto (*b*) ſibi in uxorem vindicante Jacobo, natus eſt ex eo conjugio Joſephus, filius quidem Jacobi ſecundum naturam, Heli vero ſecundum Legem. In hanc ſententiam veteres fere omnes conceſſere; quæ quidem probabiliſſima judicari debet, nedum ex hac antiquorum comprobatione, ſed etiam ex

(*a*) Apud Euſeb. l. 1. c. 7.

(*b*) Deuter. xxv. 5.

ex ipſo Julii Aphricani teſtimonio; ſcripſit enim ineunte tertio Eccleſiæ ſæculo, degebatque in Palæſtina, ac quæ literis mandavit, excepiſſe ſe teſtatur ab iis, qui adhuc ex Jeſu Chriſti cognatione ſupererant. Accedit etiam ratio: nam Matthæus utitur ſemper verbo *genuit*, generationis naturalis ordinem indicante; Lucas vero adhibet ſemper verbum *qui fuit*; poteſt autem quis eſſe alterius, quin filius naturalis illius ſit.

V. Altera ſententia, quæ placuit S. Auguſtino, antequam Julii Aphricani ſiſtema legiſſet (*a*) duos patres Joſepho tribuit, alterum natura, id eſt Jacobum, alterum adoptione, ſcilicet Heli. In hanc rem obſervare licet, Matthæum pro Hebræis potiſſimum ſcripſiſſe Evangelium, quibus oſtendendum erat, quomodo Chriſtus ex Abrahamo, & Davide, quibus promiſſus fuerat, reipſa prognatus eſſet; Lucam vero ſcripſiſſe pro Gentilibus, in Chriſti hereditatem adoptandis; quare opportunum erat, ut patres adoptionis commemoraret, & genealogiam uſque ad Adamum perduceret, ſubindicans, Chriſtum pro omnibus hominibus ex eo ſatis Redemptorem adveniſſe. *Altera ſententia.*

VI. Poſſinus, cui Bollandiſtæ adhærent (*b*), tradit, Heli fuiſſe patrem Joſephi ratione naturæ, Jacobum vero ratione hereditatis. Certum eſt, ait hujus ſententiæ Auctor, Jechoniam *Tertia ſententia.*

(*a*) De Conſen. Evangeliſt. l. 2. c. 3. Contr. Fauſt. l. 3. c. 3. Retract. tii. l. 2. c. 7. & 16.

(*b*) Bolland. 19. Mar-

niam ſterilem fuiſſe (*a*); cum ergo Matthæus ſcribat, Jechoniam filium habuiſſe Salathielem, & Lucas dicat, hunc fuiſſe Neri filium, videtur a priori Evangeliſta reſpici jus ſucceſſionis, ab altero autem jus ſanguinis. Extincta igitur in Jechonia Salomonis ſtirpe, jus hereditatis ad Nathanis lineam tranſivit; ideoque promiſſio a Deo facta de Meſſia, ex ſemine David naſcituro, non in linea Salomonis, ſed in linea Nathanis fuit impleta. Hæc ille; quæ idcirco minus placent, quod tam verbum *genuit*, quo utitur Matthæus, quam Patrum auctoritas, eo nos adducant, ut credamus, Matthæum filiationem naturalem reapſe narraſſe, non hereditariam, aut adoptivam, ſive legalem. Deinde non per Nathanem, ſed per Salomonem, Deus Davidi promiſit, ex eo oriturum, cujus Regnum ſempiternum eſſet (*b*). His autem, quæ opponuntur, reſpondemus, Jechoniam idcirco ſterilem dictum, quod nullus ex illo natus ſit, qui avitum Regnum aſſequeretur; at filios habuiſſe, certiſſimum eſt (*c*).

Ultima ſententia de B. Virginis genealogia.

VII. Ultima ſententia, quam ſequuntur Eraſmus, Voſſius, Baſnagius, Calmetus, & alii ex recentioribus complures, dicit, Matthæum deſcribere genealogiam Joſephi, cujus pater naturalis erat Jacob, ex Davide per Salomonem deſcendens; Lucam vero genealogiam B. Virginis, cujus pater erat Heli, & ipſe ex Davide per Nathanem originem referens.

(*a*) Jerem. XXII. 30.
(*b*) 2. Reg. VII. 14.
(*c*) 1. Par. III. 17.

rens. Qui hoc ſiſtema tuentur, obſervant, verba illa *qui fuit*, non ſemper indicare filium, ne quidem apud ipſum Lucam, ut conſtat ex illis, *Adam, qui fuit Dei*. Sicut ergo hic creaturam indicant, ita, ajunt, ubi dicitur, *Joſephus, qui fuit Heli*, generum indicare poterunt. Ruth equidem Noemi filia ſæpius appellata eſt, cum eſſet tantum nurus. Quidni Joſephus, Heli gener ex ducta in uxorem illius filia Maria, filius vocari non poſſit? Præterea, in eo textu: *Jeſus.... ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli*: poſtrema illa verba, *qui fuit Heli*, referenda videntur ad ipſum Jeſum, ut ſenſus ſit: Jeſus putabatur quidem Joſephi filius, qui tamen revera erat filius Heli, id eſt nepos, cum Maria Heli filia ipſum genuiſſet. Nonne idemmet Jeſus in Evangelio filius Davidis paſſim dicitur, qui nepos dumtaxat illius erat, & quidem remotiſſimus? Si vero S. Lucas, Mariæ, proxime ex Heli genitæ, nomine ſuppreſſo, generum Joſephum, aut Jeſum nepotem adduxit, ejus ſilentii in cauſa fuit, quod de Maria ſatis antea egerat, præmonueratque Lectorem, conceptum ab illa ſine maritali commercio, editumque fuiſſe Jeſum, Dei Filium. Tandem ne novitatis invidia hæc ſententia laborare dicatur, addunt, tot ex antiquis illi ſuffragari, quot ex eis Patrem Mariæ Joachimum appellant; nam *Heli*, *Heliacim*, *Heliachim*, *Joacim*, *Jachim*, & his ſimilia, apud Hebræos ſunt ſynonima (*a*). Hæc illi. Verum in eo ſiſtemate tria præcipue

(*a*) Calm. diſſert. de Genealog. Jeſu Chriſti.

pue reprehendenda videntur. Primo enim nemo non videt, vim inferri illis verbis, *qui fuit Heli*, ſive ad Joſephum, ſive ad Jeſum referantur. Deinde ſupponitur, Heli minime improlem obiiſſe; quod ex Julio Aphricano falſum eſt. Ultimo, ut præſcindamus a nominibus Heli, & Joachim, de quibus alibi (*a*), ſententia illa numquam Patribus viſa fuit, ut ſua novitate minus tuta videri poſſit.

S. Lucas genealogiam Sacerdotum minime texit.

VIII. Patribus nonnullis (*b*) perſuaſum videtur, a Matthæo genealogiam Chriſti veluti Regis, a Luca vero veluti Sacerdotis, deſcribi. Verum in ſerie avorum Chriſti apud Lucam nihil umquam ſive de Aarone, ſive de ejus filiis, ſive de alio quocumque Sacerdote, in hiſtoriis noto, legitur. Utramque Dignitatem, Regiam ſcilicet & Sacerdotalem, Chriſto aſſerimus; non tamen receptam ex Aarone ſacerdotalem dignitatem ille gerebat; quippe qui Sacerdos eſſet ſecundum Ordinem Melchiſedech (*c*). Agnoſcimus etiam ambarum Tribuum Juda & Levi permixtionem, quatenus Levitæ & Sacerdotes filias Juda interdum in uxores acciperent, tunc potiſſimum cum illæ nulla pollerent hereditate; & viciſſim viri Juda filias Levitarum & Sacerdotum. Juxta hunc autem ſenſum Veteres illi, qui oppoſiti videntur, poterunt explicari. Hinc etiam intelligimus, quomodo Maria, Eliſabethæ, e ſtirpe Aaro-

(*a*) Vide infra l. 16. Appar. n. 30. & Turnel. c. 3. n. 2. ad annum 4051.

(*b*) Aug. Epiphan. Hilar. Vide Baron. ad Annal.

(*c*) Berti, l. 27. c. 8.

Aaronis ſatæ, cognata dicatur (*a*); quod ſcilicet aliquis e familia Eliſabethæ neceſſariam aliquam B. Virginis in uxorem duxerit, vel viciſſim. Ceterum Chriſtus ex Tribu Juda ortus eſt, ex qua neminem inter Levitas, aut Sacerdotes numeratum fuiſſe, ex Apoſtolo diſcimus (*b*). Fabula igitur eſt, quod narrat Suidas, Jeſum ſcilicet in Sacerdotum numerum, cum adhuc eſſet adoleſcens, cooptatum, & repugnantes aliquos, eo quod genus duceret ex Tribu Juda, tandem acquieviſſe, ubi compertum fuit, genus ejus fuiſſe mixtum (*c*).

IX. Omittenda non eſt ſingularis Grotii ſententia, qui putat, Mathanem, ex Salomone prognatum, duxiſſe Eſtham; Mathane autem ſine liberis mortuo, Melchim, qui ex Davide per Nathanem procedebat, nupſiſſe Eſtæ viduæ, ex eaque tres ſuſcepiſſe filios, Jacob, Heli, Levi; ſed etiam Jacobo ſine prole decedente, Heli ipſius fratrem genuiſſe Joſephum, qui proinde filius erat Heli, & heres Jacobi. Unde Matthæus Joſepho patrem aſſignat Jacobum, cujus tamen erat tantum heres; Lucas vero tribuit Joſepho patrem Heli, qui revera talis erat. Supponit deinde Grotius, Levi, quem poſuit fratrem Jacobi, & Heli, genuiſſe Pantherem, Pantherem Barpantherem, Barpantherem tandem Joachimum B. Virginis parentem. Acuta ſane excogitatio. Verum ex dictis, Joſephus erat Jacobi filius, *Grotii ſententia.*

(*a*) Luc. 1. 5.
(*b*) Hebr. VII.
(*c*) Tom. 1. pag. 1229.

filius, & non tantum heres. Ad hæc, ſi Joſephus erat conſobrinus Pantheris, B. Virginis proavi, ut vult Grotius, quando vir ſanctus nupſit Mariæ, ſaltem centenarius fuiſſet, quo nihil incredibilius. Tandem Grotius tres tribuit Melchi filios, Jacob, Heli, Levi, ſed ſui dicti nullum profert teſtimonium.

Omiſſa a S. Matthæo ſupplentur.

X. Animadvertendum eſt, S. Matthæum in ſua genealogia Ochoſiam, Joaſum, & Amaſiam omiſiſſe, quos tamen omnes Regum Juda catalogi habent, & nos ſupplevimus, ut ſeries eorum Regum integra haberetur. Sed cur Matthæus tres Reges omiſit? Quod, cum in catalogo Majorum Jeſu Chriſti ter quatuordecim hominum numerum, forte ut facilius memoria retinerentur, ſervare decreviſſet, tres eo numero majores præterire debuit (*a*). At cur tres hoſce Reges, non alios? Ob illorum, reſpondent plerique, eorumque parentum impietatem. Porro prima quatuordecim claſſis habetur ab Abrahamo ad Davidem; altera a Salamone ad Joachim, quo regnante cœpta eſt Babylonica captivitas; tertia denique a Jechonia ad Chriſtum. Joachinum ſane non habet Matthæi textus, quem filium Joſiæ fuiſſe ſcimus (*b*); ſed id librariorum vitio tribuendum eſt; alioquin Matthæus conſilio defuiſſet ſuo, in ſecunda teſſaradecade tredecim tantum nomina ponens.

Cen-

(*a*) Hieron. in cap. 1. Matth.

(*b*) 1. Par. III. 15. & 4. Reg. XXIII. 30. XXIV. 17.

Cenſus ab Auguſto indictus. Chriſtus naſcitur, & circumciditur, quem Paſtores & Magi venerantur. Magorum ars, Religio, patria, dignitas, numerus.

C A P. III.

I. TEmpus illud feliciſſimum, & votis omnium retro ſæculorum deſideratum, quod Deus Meſſiæ nativitati deſtinarat, jam imminebat, cum Cæſaris Auguſti edicto omnibus Romano Imperio ſubditis præceptum eſt, ut ſinguli in urbe nativitatis ſuæ, ſive originis, nomen ſuum darent. Apud prophanos Scriptores cenſus iſte diſerte non legitur; quod mirandum non eſt, cum nemo unus ex Hiſtoriarum Scriptoribus ſuppetat, qui res ab Auguſto geſtas deſcripſerit. Credimus autem, Principem illum pernoſſe voluiſſe, quot in unaquaque provincia homines eſſent, quæve uniuſcujuſque opes, bona, munera, ut par ſingulorum viribus vectigal imponeretur; quarum tamen poſterior ratio Judæam ſpectaſſe minime videtur, cum in ea Provincia nondum Imperatoris nomine exigerentur tributa, Herode illius Rege adhuc ſuperſtite. Auguſtus igitur intelligere cupiebat, quam multo exercitu Herodes Romanorum amicus Romanos juvare poſſet, ubi res poſtularet. Porro cenſus iſte ita a S. Luca deſcribitur, quaſi primus eſſet inter eos, qui per Cyrinum, ſive Herynium, vel Quirinium indicti fuerint. *Hæc deſcri-*

ANNO MUNDI 4000. Ante Æram vulgarem 4.

Cenſus ab Auguſto indictus.

ſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino (*a*). Verum cum naſcente Domino, Syriam vel Sentius Saturninus (*b*), vel Quintilius Varus adminiſtraverit, & ipſe Cyrinus illius provinciæ regimen non ſuſceperit, niſi poſt decem annos ab interitu Herodis (*c*); hinc variæ exortæ ſunt Eruditorum ſententiæ Alii enim prædicta verba ita interpretantur: Hæc deſcriptio facta eſt prius quam Præſes Syriæ eſſet Cyrinus: vel ita: Hæc deſcriptio facta eſt antequam ſuum cenſum Cyrinus inſtitueret, pulſo videlicet Archelao, cum Auguſti juſſu pecuniam illius in fiſcum redigendam recenſeret (*d*). Alii vero, qui tenent, Cyrinum revera Chriſto naſcente cenſum egiſſe, ajunt, ipſum ſemel & iterum in Judæam veniſſe; primo quidem minori quadam apud Syros præfectura ornatum, ob quam S. Lucas eum Syriæ Præſidem appellarit; deinde vero Archelao in exilium amandato, cum jam ad ampliſſimum Proprætoris Syriæ munus evectus fuiſſet (*e*).

Maria & Joſephus Bethlehē petunt. II. Occaſione hujus cenſus Maria & Joſephus Bethlehem petiere, quod Davidis familia, ad quam ambo illi pertinebant, ex ea urbe originem duxiſſet. Plerique volunt, Mariam

(*a*) Luc. II. 2.

(*b*) Pagius & Noriſius, quibus obſiſtit Berti t. 5. p. 500.

(*c*) Joſeph. Antiq. l. 17. c. 13. & 14. & l. 18. c. 1.

(*d*) Hervart. Pezron. Cler. Toynard. Henſchen. Baſnag. Calmet.

(*e*) Petav. Grot. Uſſer. Fraſſen. Noriſ. Pag. Vide Berti ibid.

riam una cum Joſepho nomen dediſſe, quod ipſa heres eſſet familiæ, utpote unica parentum filia, generiſque totius ac familiæ vices gerens; quamquam alioquin Auguſti edicto feminæ & pueri comprehenſi minime cenſerentur. Quibus hæc non probantur de femina, quæ inito conjugio omne jus ſuum ad hereditatem in virum tranſtulerit, ad Dei Providentiam recurrunt, quæ res ita diſpoſuit, ut juxta Prophetarum vaticinia Meſſias Bethlehem naſceretur (a). Porro Bethlehem a Nazareth trium circiter dierum itinere diſterminatur; quare communis fert opinio, nullum fuiſſe Mariæ incommodum ventris onus; ſi enim fuiſſet, quemadmodum ceteris mulieribus partu jam maturo uſuvenit, hoc certe tam longum iter præter diſcrimen peragere nequiviſſet.

III. Cum Maria & Joſephus Bethlehem veniſſent inter multitudinem confluentium ad cenſum, locus illis publico in hoſpitio nullus fuit, ab iis qui prius venerant, occupato; quare neceſſe fuit in ſtabulum divertere, quo peregrinorum jumenta cogebantur. Paulo poſt illorum adventum, tempus pariendi impletum eſt; ediditque Maria divinum Infantem, quem pannis involutum in præſepio reclinavit. Stabulum quo naſcens Chriſtus exceptus eſt, ipſumque præſepe, exciſa, vel a natura parata fuiſſe in quadam rupe, ſive ſpecu inde perſuademur, quod Patres Græci, ubi de Chriſti incunabulis agunt, nunquam non ſpecum nomi-

Anno Mundi 4000. Ante Æram vulgarem 4. *Chriſtus naſcitur.*

(a) Mich. v. 2.

nominent (*a*). Quem quidem locum non intra urbem, ſed in agro, urbi tamen proximum, Juſtinus, & Euſebius ſtatuunt (*b*). Hieronymus vero in extrema Urbis parte, qua Meridiem ſpectat (*c*). Lignea incunabula Romæ in Baſilica S. Mariæ ad Præſepe oſtenduntur, iiſque Chriſtus, ubi in lucem prodiit, exceptus dicitur. Fortaſſe intra ſaxeum, vel lateritium præſepe lignea erat arcula, quæ deinde Romam delata fuerit; niſi mavis dicere, Romæ extare ciſtellam qua B. Virgo puerum Jeſum in itinere ad humeros circumferre ſolebat. Nocte ejuſdem diei, quo parentes Bethlehem venere, editus puer vulgo creditur; eamque aperuiſſe diem 25. Decembris, recepta ab antiquiſſimis ſæculis traditione, tenemus. Ægypti Eccleſiæ die ſexta Januarii Chriſtum ortum credebant (*d*), alii vero de quibus Clemens Alexandrinus (*e*), die 20. Aprilis, ſive 20. Maji. Scaliger, Sethus, Calviſius, Baſnagius, aliique ex Proteſtantibus, Chriſtum vel menſe Septembri, vel Aprili natum autumant. Scimus enim, ajunt, Chriſto naſcente Paſtores excubias ſuper oves ſuas in agris ſub dio egiſſe nocturno tempore. An hæc menſe Decembri præſtare potuiſſent? Quibus reponimus mitiſſimas, fuiſſe in Palæſtina

(*a*) Epiphan. Nyſſen. Origen. Athanaſ. Theodoret.

(*b*) Juſtin. Dialog. p. 304. Euſeb. l. 7. Demonſtr. c. 4.

(*c*) Hieron. epiſt. 24. ad Marcell.

(*d*) Vide S. Hieron. in cap. 1. Ezechiel.

(*e*) Strom. l. 1.

na hiemes, cum hordei meſſis ibi circa dimidium Martii inciperet. Statim enim a Paſchatis Feſto metebatur, & poſtridie illius ſolemnitatis primitiæ in Templo offerebantur. Pictores puerum Jeſum, inter bovem & aſinum poſitum, exhibent; nec rari ſane Scriptores eo deflectunt duo illa Scripturarum teſtimonia: *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui* (*a*): *In medio duorum animalium cognoſceris* (*b*). Repugnant quidem nonnulli, hæc nimiæ credulitati deputantes (*c*); ſed quidni Patrum traditioni inhærentes dicamus, id Mariæ providentia factum fuiſſe, ut puerulus Jeſus halitu bovis & aſini caleſceret. Tropicas explicationes a nobis alibi exhibitas minime rejicimus; ſed illas cum hoc literali componimus (*d*).

Prodigia in Chriſti Nativitate. Quid de Paganorum oraculis?

IV. Certum ſanctumque eſt apud Chriſtianos, Chriſtum e matris utero prodiiſſe illæſo virginitatis clauſtro; quo uno in partu neque excruciata parens, neque filius ſordidatus, ut merito irridendi ſint, qui dicebant, S. Anaſtaſiam Virginem ea occaſione obſtetricis officio functam fuiſſe; eaque de cauſa in altera Natalitii Dominici Miſſa memoriam illius celebrari. Ea quidem die Anaſtaſia Martyrium ſubiit, ſed longo poſt tempore, ſcilicet ſub Diocletiano. Præter hoc prodigium, quod prodigiorum omnium maximum haberi poteſt, ajunt nonnulli, naſcente Chriſto Templum

(*a*) Iſa. 1. 5.
(*b*) Habac. III. 2.
(*c*) Vide Tillem. not. l. 7. c. 14. n. 5. in Jeſum Chriſtum.
(*d*) Vide hanc Hiſtor.

Pacis Romæ corruiſſe. Sed qui hæc verificari poſſint, cum Templum Pacis multis poſt annis à Veſpaſiano ædificatum fuerit? Alterum miraculum eſt oraculorum ceſſatio; in quam rem narrant, Auguſtum jam ſeneſcentem, deque ſucceſſore diligendo ſollicitum, oraculum Delphicum conſultum iviſſe; a quo poſt iterata ſacrificia tandem expreſſerit:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, teſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Quo reſponſo accepto, Auguſtus Romam reverſus in Capitolio Aram maximam extrui juſſerit cum hac epigraphe, *Ara Primogeniti Dei*. Verum & hæc falſa eſſe, hinc probatur, quod Auguſtus exacto itinere, quod ſuſceperat in Græciam annis ante Chriſtum circiter viginti, numquam eo redierit. Ceterum Apollo Delphicus & longe ante Chriſti nativitatem, ætate ſcilicet Ciceronis, rariora fundebat oracula, & longe poſt Chriſtum, florente nempe Plutarcho, quædam adhuc reſponſa dabat (*a*). Porro Gentilium oracula quidam tribuunt Dæmonibus (*b*), nonnulli prophanis Sacerdotibus (*c*), ceteri ipſi naturæ, quorumdam ſcilicet hominum temperamento, victimarum fumo &c. (*d*). Quo autem Fides dila-

(*a*) Gotti ibid. §.3.

(*b*) Veteres ſane plures cum Balto, & Honorato Animad. t.2.l.2.d.1.a.2.

(*c*) Vandalius, & Fontanella.

(*d*) Peripatetici, Cynici, & Epicuræi.

dilatata eſt, eo conatus Dæmonum fracti ſunt, doli Sacerdotum patefacti, & Naturæ vires libratæ; ut oracula poſt quartum Eccleſiæ ſæculum penitus evanuerint. Prodigia quæ in Evangelio de Infantia Salvatoris, alio nomine S. Thomæ, narrantur, conſulto prætereo, ſicut & alia multa, quæ a nonnullis referuntur, quod idoneis argumentis deſtituantur.

V. Pariente Virgine Paſtores in viciniis Bethlehemi gregem paſcentes, nocturnas excubias agebant. His ſubito Angelus, divino lumine circumfuſus, apparuit; quo viſo, inhorruerunt. Timentes vero confirmans: Annuntio, inquit, id quod & vobis, & omni populo, maximæ futurum eſt jucunditati, natum ſcilicet Bethlehemi, in urbe Davidis, Salvatorem, Chriſtum Dominum; quem his indiciis agnoſcetis; cum prope Bethlehem puerum pannis involutum, atque in præſepio poſitum inveneritis, ipſum eſſe ne dubitetis. Vix ea dixerat, cum illi Angelorum legio acceſſit, junctiſque vocibus cecinere: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Diſcedentibus Angelis, ad locum ſubindicatum convolarunt Paſtores inventoque Jeſu in præſepio, Maria & Joſepho adſiſtentibus, pietatis ſuæ ac religionis officia perſolverunt. Statim exinde Myſterium alii revelantes, de his quæ viderant, fidem inſinuarunt. Nemo autem fuit qui hæc intelligens, ſtupore occupatus non ſit; Maria vero impletam veterum ocaculorum, rerumque ſibi ab Angelo promiſſarum fidem ſuaviſſime contemplans,

Paſtores ab Angelo moniti, Jeſum inveniunt.

omnia mente condebat, nihilque, qua erat modeſtia & prudentia, ceteris in ſui commodum aut gloriam vulgabat, conſtitutum a Providentia tempus pro Filii ſui manifeſtatione, tranquillo humilique animo expectans. Narrat S. Hieronymus, locum, in quo ſe ſe Paſtoribus exhibuit Angelus, prope Turrim Gregis fuiſſe, juxta Bethlehem, ubi deinde conditum eſt Templum, trium Paſtorum titulo dictum. Chriſti Nativitas contigit anno ab Orbe condito 4000. Æræ Chriſtianæ 1. ante Æram *Vulgarem* quarto; ante *Communem* vero, qua anni, non a die 25. Decembris, ſed a prima ſequentis Januarii exordiuntur, tertio.

ANNO MUNDI 4001. Anno Chriſti 1. Ante Æră Vulgarem 3. *Chriſtus circumciditur.*

VI. Octava ab ortu Chriſti die, quæ ſequentem annum aperiebat, Circumciſionis cæremonia in puero impleta eſt, inditumque illi nomen Jeſus, juxta datum per Angelum a Deo præceptum. Circumciſionis legi Chriſtus minime ſubdebatur; ſponte tamen vulnus illud in ſua carne accepit, quo & verum Abrami filium ſe ſe oſtenderet, & Judæorum circumciſionem digniorem ſanctioremque redderet, & abſolutiſſimi obſequii, quo divinas leges nos proſequi decet, exemplum exhiberet. Chriſtum autem circumciſum fuiſſe extra Templum, certum videtur ex iis, quæ de Circumciſione dicta ſunt (*a*). An vero circumciſus fuerit a Joſepho, vel a Maria, incertum. Quin a neutro circumciſus crederetur. Sunt enim qui putent, Sacerdotes quibuſdam miniſtris com-

(*a*) Vide hanc hiſtor. l. 2. c. 2. n. 10.

commiſiſſe, ut pueros Circumciſione ordinariò initiarent, ne ob imperitiam in amputanda pellicula diſcrimen aliquod ipſi ſubirent.

VII. Poſt aliquod tempus Magi ex Oriente Hieroſolymam venerunt, natum Judæorum Regem requirentes, cujus ortum ſub aſtro quodam, in eorum regione viſo, didiciſſe ſe affirmabant (*a*). Ad rei novitatem tota commota eſt Hieroſolymorum urbs, rumorque continuo ad Herodem pervenit; qui Principes Sacerdotum & Legis Doctores, ad ſe accitos, interrogavit, ubinam Chriſtus, ſive Meſſias eſſet oriturus? Illi ſtatim, In Bethlehem Judæ, reſponderunt, Michææ vaticinium in hæc verba laudantes: *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*. Textus tamen Michææ ita habet: *Et tu Bethelehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael* (*b*). Quorum verborum hic eſt ſenſus: Terra Bethlehem, alio nomine Ephrata, profectò minor es, quam ut in cenſum florentiſſimarum urbium Juda habearis; ex te nihilominus orietur qui regat Iſraelem. Pronum autem eſt animadvertere, Judæorum Doctores alio ſenſu, vel ſaltem aliis verbis, Michææ oraculum retuliſſe, quam quibus apud ipſum Prophetam legitur. Michæas enim habet, *Bethlehem parvulam eſſe;* Doctores vero aſſerunt, *nequaquam minimam eſſe*. Immerito autem nonnulli hanc qualemcumque oppoſitionem S.Mat-

Magi Hieroſolymam veniunt. Michææ Oraculum.

C 4 thæo

(*a*) Matth. II. (*b*) Mich. v. 2.

thæo impegere, cum Evangeliſta hiſtorica fide (*a*) retulerit illud teſtimonium, quemadmodum a Doctoribus illis recitatum eſt, ut veluti præteriens, illorum oſcitantiam, vel inſcitiam carperet. Alii, addentes interrogationis notam, totum illud diſcrimen conciliant (*b*). *Et tu Bethlehem Ephrata, numquid parvula es in millibus Juda? Ex te mihi egredietur* &c. Nonnulli ita legunt (*c*): *Et tibi, Bethlehem Ephrata, minimum eſt decus, quod locus natalis Principum Juda fueris; ex te enim mihi egredietur* &c. ut fiat comparatio inter Davidem in eadem urbe natum, & Chriſtum, a quo ille longe ſuperatur (*d*).

Magi Jeſum adorant.

VIII. Audiens Herodes, Meſſiam Regem in Bethlehem naſciturum, clam vocatis Magis, tempus ſyderis primo viſi, ſedulo ab illis requiſivit. Magos deinde, ut novum Regem adirent, in Bethlehemum dimittens, rogavit ut de illius inventione certiorem ſe facerent, quo & ipſe ad eum adorandum pergeret. Si nonnullos audias (*e*), Herodes tunc Jerichunte verſabatur, ubi lethalem illum morbum curabat, qui ſibi vitam non diu poſt ademit (*f*).

Igi-

(*a*) Hieron. in Mich. v. S. Thomas, Melchior Canus, Maldon. Jun.

(*b*) Janſen. Grot. Ribera, Jun. Glaſſ. Cleric. Calmet.

(*c*) Oſiander, Ludov. de Dieu, Forſter, Pfeiffer.

(*d*) Vide hanc Hiſtor. l. 7. c. 13. n. 32.

(*e*) Toynard. Harmon. Evangel. Calm. in Matth. 11. 3.

(*f*) Joſeph. l. xvii. Antiq. c. 8. & de Bello l. 1. c. 21.

Digitized by Google

Igitur Magi ex urbe digreſſos ſydus, quod in Oriente viderant, iterum illis apparens, in Bethlehemum duxit, locumque eis, ubi puer erat, defixo curſu deſignavit. Quare Magi ſpeluncam ingreſſi, vel alium commodiorem locum, ad quem facile Maria poſt partum diverterat, inventum puerum una cum Matre adoraverunt, ac munera Aurum, Thus, & Myrrham obtulerunt; Aurum, inopiæ levandæ; Thus, corrigendo ſtabuli fætori; Myrrham, ſolidandis pueri membris (*a*). Altiorem, communioremque explicationem infra dabimus (*b*). Sequenti nocte ab Angelo de malo Herode in puerum animo admoniti, per aliam viam in regionem ſuam rediere.

IX. Philoſophi & Divini, ac Aſtronomiæ non quidem atræ illius & diabolicæ, ut pluribus ex ipſis quoque Patribus (*c*) viſum eſt, ſed naturalis, innocuæque periti fuiſſe Magi creduntur. Forte etiam verum Deum non minus ac Job, ejuſque Amici, colebant. Ex Perſide ſive Chaldæa non rari illos veniſſe putant (*d*). Verum ex Arabia Felice ceteri vulgo accerſere malunt; cui quidem opinioni illud commodi præ aliis accedit, quod Auri, Thuris, & Myrrhæ ea regio feraciſſima ſit. Apud Perſas quidem Magorum nomen vulgare erat; ad alias tamen nationes propagatum ſcimus. Fruſtra autem eorum ſententiam con- *Ars, Religio, & Patria Magorum.*

futa-

(*a*) S. Bernar. Ser. 3. in Epiph.

(*b*) Hoc cap. n. 15.

(*c*) Ignat. Juſtin. Ori- gen. Ambroſ. Tertull. Hilar. Hieron.

(*d*) Clem. Alex. Chryſoſt. Hieron. Theodoret.

ſutaremus, qui ab Armenia, Ethiopia, vel tandem a tribus Orbis tunc cognitis partibus, Aſia, Aphrica, & Europa, ſingulos ex ſingulis, illos repetunt.

Dignitas, Numerus, & Nomina Magorum.

X. Magi apud plurimos ſane Scriptores ſunt Reges, apud alios Principes ſive Dynaſtæ, apud quoſdam puri putique Philoſophi, vel Arioli. Nonnulli tandem hærent, nihilque de ipſorum dignitate ſtatuendum decernunt (*a*). Nos iis, qui Reges, vel ſaltem Principes credunt, accedimus. Eo equidem ſpectant verba illa, quæ a Patribus non raro, & ab Eccleſia ipſa in Epiphaniæ Officio, Magis accommodantur: *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent* (*b*). Celeberrimum Epigramma habet:

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges;
Myrrham homo, Rex aurum, ſuſcipe thura Deus.

Claudiano tribuitur a multis; ceterum ſi Claudiani non ſit, quippe qui Chriſtianus non erat, certe antiquiſſimi æque ac elegantiſſimi Poetæ eſt. Regium utique nomen in Evangelio non legimus; legimus tamen, ad eorum adventum commotam urbem univerſam; legimus, liberos ab Herode dimiſſos; legimus, obtuliſſe munera apertis theſauris; quæ in Reges, vel ſaltem Principes, maxime quadrant. Sententia, quæ tres numero Magos præfert, non ita firma videtur, utpote quæ ex tribus obla-

to-

(*a*) Berti de Theolog. Diſcipl. l. 29. c. 4. §. 2.

(*a*) Pſ. LXXI. 10.

torum munerum generibus, Auri nimirum, Thuris, & Myrrhæ, invecta cenſetur. Non deſunt tamen qui vel nomina ipſa Magorum, toti antiquitati ignota, deſignent, *Gaſparem* ſcilicet, *Balthaſſarem*, & *Melchiorem*; ſive *Magalat*, *Galgalat*, & *Saraim*; vel tandem *Atorem*, *Satorem*, & *Paratoram*.

XI. Vero propiora ſentiunt Patres illi & Interpretes, qui Balaamum Magorum auctorem præceptoremque conſtituunt, qui olim oraculum illud edidit: *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget Virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth* (*a*). Eo utique ſpectare videntur verba a Magis prolata: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* (*b*). Ubinam alibi in Scriptura adventus Meſſiæ exorientis Aſtri ænigmate deſignatur? Et unde potuiſſent viri alienigenæ novi ejuſdem aſtri aſpectu de Meſſiæ adventu fieri certiores, niſi ex oraculo Balaami, cujus apud illos traditio ex patre in filios recepta ſervari poterat? Origenes perſuaſum habuit, Magos illos, cum imbecilliorem ſolito Dæmonis in præſtigiis virtutem animadvertiſſent, ſimulque novum ſubito exortum aſtrum inſpexiſſent, autumaſſe, ipſum eſſe ſydus, Balaami vaticinio indicatum; eaque perſuaſione ductos viæ ſe dediſſe, ut novum Regem ex Judæa ortum adorarent (*c*). Auctor Operis Imperfecti ex veterum quorumdam apocryphorum Li-

Fuerintne Balaami ſectatores?

(*a*) Num. xxiv. 17.
(*b*) Matth. ii. 2.
(*c*) Origen. l. i. contra Celſum.

Librorum, quibus Seth nomen præfixum erat, auctoritate, refert, duodecim fuiſſe Magos, ex univerſo populo ſuo lectos, atque plurium ſæculorum ſucceſſione ex patre in filios, deſtinatos, ut Cæli aſſidua inſpectione exortum ſyderis, a Balaamo prædicti, explorarent (*a*). Hæc ille. De re tota deliberaturi, forte advocarunt in conſilium receptam tunc temporis per univerſum Orientem (*b*) de novo Rege, Meſſia ſcilicet, ex Judæa profecturo opinionem. Quibus omnibus intimus S. Spiritus illapſus, atque gratiæ vis acceſſit, qua ad iter illud ſuſcipiendum excitarentur (*c*).

Quo tempore Magi ad Chriſtum venerint.

XII. Quo autem potiſſimum tempore in Judæam venerint, incertum. Certum tamen eſt, nulla neceſſitate nos adigi, ut adventum Magorum ad diem ſextam Januarii, treſdecim ſcilicet poſt natum Chriſtum dies, definiamus, quamvis in eam ſententiam nos ire moueat memoria tanti myſterii, quod græce *Epiphaniam*, latine *Apparitionem* vocamus, prædicta die ab Eccleſia Latina jam inde a quinto Eccleſiæ ſæculo celebrari ſolita. Græci Magorum adventum una cum Nativitate Chriſti ad diem 25. Decembris componunt. Toynardus cenſet, perveniſſe illos Hieroſolymam die 28. Januarii, altera die ſe contuliſſe Jerichuntem, ibique biduo ſubſtitiſſe; ac tandem die prima Februarii Bethlehem profectos fuiſſe. Alii tandem Magos adveniſſe poſt aliquos a Purifica-

(*a*) Hom. 2. in Matth. Joſeph. Antiq. l. 7. c. 12.
(*b*) Sveton. in Veſpaſ. (*c*) Vide hanc Hiſt. c. 4. Tacit hiſtor. l. 5. c. 4. l. 4. c. 9. n. 8.

ficatione dies contendunt. Verum ii ſupponunt, B. Virginem poſt Purificationem Bethlehem rediiſſe; quod nullo argumento probaretur. Multo magis rejicienda videtur Euſebii, & Epiphanii ſententia, Magorum adventum poſt biennium a nato Chriſto ſtatuentium, cum tunc Herodes in vivis amplius non eſſet.

Quando Magis viſa eſt Stella?

XIII. Ambigitur etiam de tempore ſpectati a Magis ſyderis. Paruitne biennio ante ortum Chriſti, an ipſo ejus naſcentis articulo? Priori opinioni favet S. Matthæus, qui notat, Herodem pueros omnes, in Bethelehem & in finibus ejus occurrentes, *a bimatu & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis* (*a*), trucidari præcepiſſe. Quibus tamen reponi poteſt, Regem illum majori, quam pro neceſſitate, atque tempore exorti ſyderis, cautione, ne quid ſibi deeſſet, biennales necandos edixiſſe. Et quidem iter a Magis ſuſceptum duorum annorum tempus non exigebat, modo ab Arabia, ſive ab alia illi vicina provincia, eos veniſſe conſtituas.

An Stella omnibus eſſet conſpicua?

XIV. Ambigitur quoque, an mortalium omnium obtutibus Stella illa pateret. Ut autem ſententiam negantem ſequamur, illud facit quod ſcilicet Herodes a Magis, non vero ob aliis tempus illius exorti exquiſierit. Sunt etiam qui putent, lucem illam ſemel tantum vel iterum in ſua regione verſantibus Magis coruſcaſſe, denuo vero ex urbe Hieruſalem egreſſis; cum deductos per totam viam præeun-

(*a*) Matth. 11. 16.

eunte illo fulgore alii malint, addentes, lucem illam ingredientibus Hieruſalem aliquandiu evanuiſſe, quod in cauſa fuerit, cur de Rege nato ab Hieroſolymitanis quærerent. Hæc omnia & plura id generis alia æque latent, & operóſior de illis exquiſitio tædium augeret, non ſcientiam.

Magi Chriſti Divinitatem agnoſcũt. XV. Sociniani tenent, Magorum adorationem non fuiſſe religioſam, & ſupremam, quæ Deo tantummodo debetur, ſed qualem Orientis populi Regibus ſuis exhibere conſueverunt. Idem ſentit Grotius; eoque ſpectat, ſaltem dubitando, Simonius. Verum Patres unanimi conſenſu affirmant, Magos exhibuiſſe Chriſto adorationem tamquam Deo; qui ſuam de Chriſti Divinitate fidem munerum etiam myſterio declararunt; nam ſicut aurum Regi, & myrrha Mortali, cujus corpus condiendum erat aromatibus, ita thus convenit Deo.

Magorum Baptiſmus, & Reliquiæ. XVI. Auctor Operis Imperfecti, ſuperius laudatus, refert, S. Thomam Apoſtolum in Perſide Magos nactum, Baptiſmo initiaſſe, & in Evangelio enuntiando ſocios habuiſſe. Addunt alii, martyrio donatos fuiſſe. Sacra eorum lypſana Coloniæ oſtenduntur, quo ab Urbe Mediolano translata, volunt nonnulli Scriptores.

Puri-

Digitized by Google

Purificatio B. Mariæ, Innocentium cædes, & fuga Chriſti in Ægyptum. Idem in Templo reperitur, ſubjectuſque parentibus Nazarethi moratur.

CAP. IV.

I. Poſt dies 40. ab ortu Salvatoris, Maria impleto purgationis tempore, Hieroſolymam venit una cum Joſepho, Primogeniti ſui oblationem, & præſcripta in Lege ſacrificia pro puerperis impletura (*a*). Sanxerat Moyſes (*b*) ut mulier, quæ *ſuſcepto ſemine*, communi ſcilicet lege & ratione, concepiſſet & peperiſſet, dies quadragenos impura haberetur, a Sacrorum uſu, & communione remota. Qudrageſima poſt editum puerum, & octogeſima poſt puellæ partum die, ante veſtibulum Templi ſe ſiſtens agnum in holocauſtum, & columbæ pullum ſeu turturem in ſacrificium pro peccato offerebat. Pauperes vero feminæ duos turtures, ſive geminos pullos columbarum, alterum in holocauſtum, alterum pro peccato immolabant. Legi huic certe ſubjecta non erat B. Virgo; quippe quæ extra communem rationem concepit, & peperit; in argumentum tamen humilitatis ad Templum de more ſe contulit, munuſque pauperum mulierum obtulit. Colligunt hinc nonnulli, non magnum auri munus ad puerum Jeſum a Magis eſſe delatum, cum non ſatis pecuniæ parentibus fuerit ut agnum emerent ob Ma-

ANNO MUNDI 4000. Chriſti I. Ante Æram vulgarem 3.

Purificatio B.Virginis.

(*a*) Lucæ II. 22. (*b*) Levit. XII. 1. 2. 3. &c.

Mariæ purgationem. Sunt qui cenſeant, ea munera Domino conſecraſſe, vel pauperibus diſtribuiſſe Joſephum & Mariam: alii ad Ægyptiaci itineris ſumptus illa ſervaſſe. Viſum eſt aliis, hinc inferendum, Magos eo tempore nondum veniſſe (*a*); quod tamen non probatur.

Jeſus Deo oblatus.

II. Ex alterius Moſaicæ Legis inſtituto majores natu Domino offerendi erant; nec, niſi ſoluto Sacerdotibus quinque ſiclorum pretio redimi poterant (*b*). Huic quoque Legi Maria & Joſephus paruerunt; & quamvis redemptum quinque ſiclis puerum Jeſum, minime narret S. Lucas, nulli tamen, quin id ſervatum fuerit, dubitamus. An autem huic Legi Jeſus Chriſtus ſubjectus eſſet, varii varia diſputant. Alii enim immunem fuiſſe pronuntiant, quippe qui in lucem editus ſit intactum virginitatis clauſtrum reliquens, cum Lex habeat: *Omne maſculinum adaperiens vulvam* (*c*). Alii ſubjectum pronuntiant; neque aliam vim habuiſſe credunt laudata verba, quam: *Omne maſculinum primogenitum* (*d*). Quare ſub generalibus Legis verbis comprehenſum volunt Jeſum Chriſtum, qui numero ceterorum primogenitorum continetur. Alii tandem perſuaſum habent, verba Legis unice Jeſum Chriſtum ſpectare; qui unus ſupra naturæ leges matris uterum naſcendo pervium habuit, & quodammo-

(*a*) Grotius in Lucam hic.

(*b*) Exod. XIII. 2. 3. &c. Levit. XII. 6. Num. XVIII. 17.

(*c*) Cyrill. Hieroſolym. hom. de Occurſu Domini.

(*d*) Rup. Janſ. Toſtat. alii.

modo aperuit, licet inviolato virginitatis clauſtro; cum alii filii, antequam naſcantur, in ipſa ſcilicet conceptione, opera patris matrum uterum recludant (*a*).

Simeonis occurſus, prophetia, & ſtatus.

III. Erat tunc Hieruſalem ſenex quidam ſanctiſſimus, qui ex multo tempore levamen & conſolationem Iſraelis, Meſſiæ ſcilicet adventum, expectabat. Hic divina Spiritus ſancti, quo plenus erat, luce intellexerat, ſe non antea moriturum, quam ſuis ipſe oculis Meſſiam intueretur; qua ſpe ductus in Templum eo plane momento venit, quo Maria & Joſephus, filium oblaturi, & purificationis legem impleturi. Hinc Feſtum in hujus rei memoriam inſtitutum a Græcis *Hypapantes*, ſcilicet occurſus dicitur. Simeon igitur puerum Jeſum ulnis complexus, totus in gratiarum actionem ad Deum, qui ſua deſideria expleverat, effuſus eſt; atque: Jam nunc, ait, o Deus, ſi videtur, ex hac vita me collige; cum felicitatem, in quam me reſervaſti, jam adeptus ſim, votorumque meorum finem, juxta ac promiſeras, exorto Salvatore videam quem modo omnibus oſtendis, Gentilibus quidem illuminandis, Iſraelitis vero ad majorem gloriam promovendis. Inde fauſta quæque parentibus precatus, ad Mariam ſe convertens, futurum illum in ſalutem, exitiumque multorum, pro hominum ſcilicet erga illum vel obſervantia, vel contumacia, prædixit; exercendumque inſuper impiorum odiis, adeo ut & matris viſce-

(*a*) Origen. Tertull. phyl. alii apud Calm. in Ambroſ. Hieron. Theo- Luc. 11. 7.

ſcera gladio quodam tranſverberarentur; qua pariter occaſione ſecreta multorum conſilia panderentur, palamque fieret, quinam vere eſſent ipſius Diſcipuli, quique ficti. Sua dictis fides: ærumnas enim, quas Jeſus toto prædicationis tempore pertulit, crudeliſſimamque illius mortem cernere non potuit Maria, quin acerrimo doloris ſenſu cruciaretur; eademque Chriſti paſſio Petri imbecillitatem, pavorem Diſcipulorum, nequitiam Judæ, furorem Judæorum, iniquitatem Pilati patefecit. Nunc etiam Chriſti Crux veros ſimulatoſque Chriſtianos periclitatur. Verum quippe Chriſtianum Crucis Salvatoris non pudet; illam amplectitur, amat, gerit. Malus vero Chriſtianus Crucem probro habet, fugit, veretur. Viſum eſt nonnullis nomine gladii Martyrium intelligere; ſed hujus rei nullum extat monumentum. Cave hic quorumdam opinionem, qui Origenem ſequuti, docuerunt, gladium, quo Mariæ animus tranſverberatus eſt, fuiſſe dubitationem, qua B. Virgo Filium e Cruce pendentem intuens, anceps hæſerit, is ne Filius Dei eſſet; qua dubitatione ſolvi non potuerit, niſi poſtquam ille a mortuis reſurrexit (*a*). Excogitarunt alii poſt eumdem Origenem, gladium fuiſſe ignem, quo omnes prorſus homines in Mundi exitu expiandi ſunt, ne Maria quidem excepta (*b*). Verum hæc penitus improbantur. Maria enim nunquam de Filii ſui Divini-

(*a*) Origen. hom. 17. in Luc. cIv. 18. atque Interpretes in 1. Cor. III. 13.

(*b*) Vide Hilar. in Pſ.

vinitate dubitavit; nulloque inquinatam fuiſſe peccato; tenet Eccleſia (*a*); nullique proinde expiationi eſſe obnoxiam, fatendum eſt. Sunt qui Sacerdotem fuiſſe cenſeant Simeonem; quam in ſententiam Baronius, & deinde Allatius quamplurimos e priſcis Chriſtianis ſcriptoribus recitavere. Nihil tamen ea de re ſtatui poteſt. Accepit ille Jeſum in ulnas, gaudio facile actus, non vero quod eſſet Sacerdos (*b*). Addunt nonnulli, Simeonem fuiſſe cæcum, recepiſſe vero lucem ex Chriſti complexu. Volunt præterea, poſt redditum matri Jeſum, ſenem, ut ſibi imprecatus fuerat, ſtatim obiiſſe, ejuſque cadaveri Hebræos denegaſſe ſepulcri honorem, quod teſtimonium Meſſiæ perhibuiſſet. Res tanti momenti ſiluiſſetne Evangeliſta, ſi veræ fuiſſent?

IV. Ortum ſuum ab omnibus cujuslibet ætatis, conditionis, & ſexus hominibus prædicari Chriſtus conſtituit: a Sacerdote per Zachariam, per Mariam a Virgine, a puero per Joannem, per nuptam ab Eliſabetha, per Simeonem a ſene, ab anu tandem per Annam. Anna igitur octoginta & quatuor annos nata, filia Phanuel ex Tribu Aſer, quæ viro, cui adhuc virguncula nupſerat, poſt ſeptem annos orbata, totam ſe deinceps Deo devoverat, atque in Templo jugiter verſans, jejuniis macerata, in oratione dies noctesque ducebat; talis, inquam, tantaque femina, quam Spiritus ſanctus prophetandi quoque prærogativa auxerat, cum Simeon Mariam alloqueretur, præ- *Anna vidua.*

D 2 dice-

(*a*) Concil. Trident. (*b*) Gotti, Calm. alii.

diceretque quid filio, matrique immineret, ſupervemiens, erupit in Dei laudes, omnibuſque qui tunc aderant, Iſraelis redemptionem præſtolantibus, votorum finem, ipſumque Meſſiam jam adeſſe nuntiavit (*a*). Porro Anna ex his fortaſſe feminis erat, quæ excubias in Templo agebant, Deique ſervitio erant occupatæ in iis, quæ a Sacerdotibus jubebantur (*b*).

Puerorum cædes. V. Sub hæc, Joſephum & Mariam, regreſſum in Nazaretham parantes, vel, ut alii cenſent, cum eo perveniſſent, Angelus Domini per ſomnium admonuit ut in Ægyptum cum puero Jeſu ſecederent, Herodis furorem, divinum Infantem ad necem quærentis, declinaturi. Herodes enim illuſum ſe a Magis intelligens, qui præceptis illius inſuper habitis, per aliam viam ad propria remearant, in rabiem verſus, ſimulque timens ne natus puer ſibi, aut filiis ſuis Regnum eriperet, miſſis in Bethlehem, ejuſque agros ſatellitibus ſuis, infantes omnes a *bimatu & infra*, juxta tempus quod a Magis ſubindicatum fuerat, trucidari præcepit. Adimpletum tunc eſt, ait S. Matthæus, illud Jeremiæ: *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt* (*c*). Cum everſa Samaria, Tribus Ephraim & Manaſſis in captivitatem ducerentur, ipſorum matres in *Rama*, in locis ſcilicet editis, in-

(*a*) Luc. II. 36.
(*b*) Exod. XXXVIII. 8. 1. Reg. II. 22.
(*c*) Jerem. XXXI. 15. Matth. II. 13.

ingenti queſtu ſortem ſuam luxerunt. Porro Rachel, cum eſſet Joſephi mater, & Ephraimi, ac Manaſſis avia, feminis illis exhibetur, & quod ipſæ egere, ei adſcribitur. Gemitus igitur, & voces, quæ tunc perſonuere, S. Matthæus cum Bethlehemiticarum matrum ploratu, infantes ſuos lugentium, comparat; id autem Evangeliſtæ ex eo etiam pronius fuit; quod ſcilicet Rachel, ad quam SS. Innocentes vel nativitate, vel adoptione pertinebant, prope Bethlehem ſepulta jaceret. Græci in ſuo Menelogio, ac Æthiopes in ſua Liturgia, Innocentes ad 14000. recenſent; quod fidem omnem exſuperare videtur. Eorum cultus vetuſtiſſimus ſane in Eccleſia eſt, quos ipſa ſemper ut Martyrum flores ſuſpexit. Mirum videtur, cur Joſephus, Herodis geſta fuſe deſcribens, hanc infantium cædem omnino præterierit. Scaligeri audacia eo proceſſit, ut Chriſtianos potius alicujus additionis ad Hiſtoriam Evangelicam, quam Joſephi alicujus omiſſionis arguere viſus ſit. Facile Nicolaus Damaſcenus, cujus monumenta ſequutus eſt Joſephus, flagitium hoc Herodi probroſiſſimum, omiſit. Voſſius non admodum miratur, quod Joſephus infanticidii illius hiſtoriam prætermiſerit, cum poſt tot crudelitatis exempla Hieroſolymis, & per totam Palæſtinam edita, poſt ſublatos diverſis ſuppliciis tot filios, uxores, neceſſarios, & amicos, non magnum quid fuiſſe videatur, quod Herodes uninius vici, & adhærentis territorii infantes ſuſtulerit; quorum ſtragem non adeo magnam

 fuiſ-

ſuiſſe putat, cum non omnes, ſed mares tantum, & qui intra bimatum eſſent, cæſi fuerint (*a*). Hanc hiſtoriam minime ignoravit Macrobius, prophanus Scriptor ſæculi quarti circa finem, qui ingenioſas Auguſti ſententias referens, ait: *Cum audiſſet Auguſtus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judaorum infra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium* (*b*). Herodes nimirum ſub idem ferme cædis Bethlehemiticæ tempus Antipatrum filium occidi juſſit; allatuſque Romam ſimul utriuſque rei nuntius hunc a Cæſare luſum expreſſit. Porro porcum execrabatur Herodes, quemadmodum Judæi omnes, & Arabes, qui neque illum mactabant, neque in cibum adhibebant. Veteres nonnulli (*c*) cenſuere, infantium cædem poſt annum a Chriſto nato alterum contigiſſe; alii (*d*) poſt quindecim menſes. Verum ultra annum differri non poſſe videtur, quia intra annum Herodem obiiſſe putamus. Quid autem ſibi vult illud: *A bimatu & infra*? Occiſi ne fuerunt pueri omnes toto biennii curriculo natos? an illi tantum, qui alterum ætatis annum inceperant, & elapſis aliquot menſibus agebant? Ita facile; nam apud Scripturam *filius anni* eſt non is, qui annum primum exegit, ſed qui annum primum agit: ita pueri bimuli, ſive

(*a*) Sacra Chronologia. philaſt.
(*b*) Lib. 2. Saturnal. c. 4.
(*c*) Epiphan. & Theo-
(*d*) Euſeb. in Chronico, Eucher. Anſelm. Lyran. alii.

ſive a bimatu, ſunt ii, quibus alter annus decurrit.

An ad Chriſti præſentiam Ægypti Idola corruerint.

VI. Veteri apud Orientales traditione receptum eſt, Mariam & Joſephum, Ægyptum ingreſſos, Hermopoli in Thebaide ſubſtitiſſe; atque in via inter Cairum, & Hermopolim fons oſtenditur, a Chriſto prodigio eductus, in loco, cui nomen Matara, ubi & balſamo conſitus eſt hortus; ibique infantis panniculos a matre lotos ferunt; quare noſtra adhuc ætate loci religio manet (*a*). Ægyptiorum Numina ſpontaneo lapſu vim Dei, illuc ingredientis, ſenſiſſe, non unus ex Veteribus ſcripſit (*b*). Eo ſpectare volunt duo illa teſtimonia: alterum Iſaiæ: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti a facie ejus* (*c*): alterum vero Jeremiæ: *Et conteret ſtatuas domus Solis, quæ ſunt in terra Ægypti, & delubra deorum Ægypti comburet igni* (*d*). Illud veriſſime affirmari poteſt, Jeſum Chriſtum, ut in Ægyptum venit, evertere cœpiſſe Dæmonis, & inanium deorum imperium, quod deinde Apoſtolorum & ſucceſſorum prædicatione deletum eſt. Nam ad materialia Idola quod ſpectat, ſcimus in ea provincia per quatuor fere ſæcula illa adhuc perduraſſe (*e*).

Brevis fuit mora Jeſu in Ægypto.

VII. Quamdiu autem in Ægypto perſtiterint,

D 4

(*a*) Calm. dict. v. *Matharea*.

(*b*) Euſeb. Demonſtr. Evang. l. 6. c. 20. & l. 6. c. 2. Athan. de Incarn. §. 4. Verbi tom. 1.

(*c*) Iſa. XIX.

(*d*) Jerem. XLIII. 13.

(*e*) Gotti ibid. c. 13.

rint, inter incerta incertiſſimum. Toynardus geminos exilio menſes dat, alii quatuor, aut quinque; annum unum, ſive duos nonnulli; quidam quinos ſenoſque, novem etiam aut decem. Brevi tamen regreſſos credimus, quod Herodes eodem anno, quo fugam illi inierant, obierit; eo autem adempto, iterum de Angeli conſilio in Judæam iter ſuſceperunt. Verum in itinere Archelaum Herodi ſucceſſiſſe intelligens Joſephus, veritus ne crudelitas patris ad filium tranſiiſſet, neque Hieroſolymam, neque Bethlehemum, ubi Archelaus regnabat, ſed Nazaretham contendit in Galilæa, Herodi Antipæ fratri illius ſubjecta, contendit. Porro Antipas natura mitior erat Archelao: Jeſu autem ortus non æque in Galilæa & urbe Nazareth celebris fuerat, quemadmodum Bethlehemi & Hieroſolymis, Magorum adventu, & iis quæ die Purgationis Mariæ in Templo contigerant.

Geminæ de Jeſu Prophetiæ.

VIII. Geminas in reditu Jeſus Prophetias S. Matthæus impletas, teſtatur (*a*). Prima habebat: *Ex Ægypto vocavi filium meum*: altera: *Quoniam Nazaræus vocabitur*. Ex quo Propheta illas deſumpſerit, non indicat Evangeliſtas. Plura ejus generis monumenta apud Judæos ſola hominum memoria, nulloque ſcripto ſervabantur. Hinc forte vaticinia illa laudavit Matthæus. Ad priorem tamen quod attinet, ſpectaſſe creditur Evangeliſta illum Oſee locum, ubi ex Hebræo juxta Hieronymi verſionem legimus: *Ex Ægypto vocavi filium meum*

(*a*) Matth. II. 15. & 23.

meum (*a*) : quo loco Septuaginta ferunt: *Ex Ægypto vocavi filios ejus*. Hinc Julianus Auguſtus malæ fidei arguebat Matthæum, cum hunc locum ex Hebraica fide ab eo recitari ignoraret (*b*). Porro Hebræi ex Ægypto fugientes, quos notat Oſee, figura erant rei a Jeſu Chriſto gerendæ. Quantum vero ad alteram prophetiam, ſpectari volunt nonnulli Nazaræos, homines Deo obſtrictos voto, qui ſanctius ceteris Judæis vitæ inſtitutum profitebantur. Hac quidem ex parte Jeſus veriſſime eſt Nazaræus; nihil enim ſanctius illius vita & doctrina. Cum Jacob & Moyſes Joſepho Patriarchæ benedicerent, illum appellavere *Nazaræum inter fratres ſuos* (*c*), ſcilicet inter ceteros fratres, gloria, nobilitate, ſanctitate clariſſimum. Eximia Jeſu Chriſti figura Joſephus fuit. Fortaſſe etiam hunc Iſaiæ locum ſpectavit Matthæus: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos* (Hebraice *Nezer*) *de radice ejus aſcendet* (*d*). Hic porro ſurculus, vel flos (Nezer) e radice Jeſſe ortus, procul dubio eſt Jeſus. Poſteriori huic ſententiæ accedit & S. Hieronymus, addens, ita etiam Hebræos quamplures ſentire (*e*). Ut ergo aliqua ex Prophetiis iſtis adimpleretur, vel forte etiam omnes, Chriſtus habuit Nazarethæ domicilium. Porro non tantum Chriſtus dictus eſt Na-

(*a*) Oſee XI. 1.
(*b*) Hieron. in Oſee ibidem, & Matth. II. 15.
(*c*) Geneſ. XLIX. 26. Deuter. XXXIII. 16.
(*d*) Iſa. XI. 1. LX. 21.
(*e*) Hieron. in Iſa. XI. 1. Auctor Operis Imperf. in Matth. Janſen. Eſtius, Hammond.

Nazarenus, ſed & id nominis conſecuti ſunt illius diſcipuli; quo ut plurimum per jocum & contemptum uſi ſunt auctores, qui opus aliquod adverſus Chriſtianos ediderunt. Quædam etiam Hæreticorum ſecta, Nazaræi dicti ſunt. Erant autem Fideles quidam ab Judaiſmo converſi, pertinaciſſime tamen cæremonialibus Judæorum moribus adhærentes, quorum præcipuus error Operum Legis neceſſitatem & utilitatem tuebatur.

ANNO MUNDI 4012. Chriſti 12. Æræ Vulgaris 8.

Jeſus in Templo inter Doctores invenitur.

IX. Puer Jeſus illuſtriora in dies Sapientiæ & Sanctitatis indicia exhibebat, pro ætatis, & corporis augmento; quod maxime patuit, ubi duodennis a Parentibus occaſione Feſti paſchalis Hieroſolymam ductus eſt. Tunc primum ad Templum facile Jeſus iter ſuſcepit. Apud Hebræos enim pueri poſt duodecimum denique ætatis annum *filii præcepti* dicuntur, totaque Legis ſeveritate obligantur (*a*). Impletis iis, quæ Paſchatis Feſtum exigebat, Maria & Joſephus regrediebantur; ratique redire pariter filium cum aliquo ex ſociis, nihil de eo requirentes, unius diei iter confecerunt. Sed cum veſpere apud illos Jeſum quærentes, non inveniſſent, actutum Hieruſalem repetierunt; eaque in urbe poſt triduum, puerum in Templo inter Doctores, varia illos interrogantem, reſpondentemque, ea ſapientia, & modeſtia, qua omnes in admirationem raperentur, nacti ſunt (*b*). Perperam a pictoribus exhibetur Jeſus more Magiſtri honeſtiſſimo in loco ſedens, ac ſi ipſe Doctores inſtrueret. Fer-

(*a*) Ligfoot. Grot. (*b*) Luc. II. 42.

Fertur enim, Judæorum Magiſtros cathedras ad docendum aſcendere conſueviſſe, provectiores diſcipulos in ſcamnis ſedere, tyrones vero humi in ſtoreis. Chriſtus tamen facile ſtans interrogabat, reſpondebatque. Putat Origenes, inviſibilem ſe ſe effeciſſe Jeſum, ut ſe matri, & Joſepho ſubduceret (*a*). Malunt alii, Judæos ſolemnitatum tempore viros a feminis ſejunctos proficiſci conſueviſſe, Mariam vero & Joſephum putaſſe, in alterutra turma Jeſum incedere; quippe cui per ætatem liceret viros ſequi aut feminas. Collectis veſpere turmis, ut cibum caperent, Jeſum a comitatu abeſſe intellexerunt (*b*). Maria & Joſephus toto ilius abſentiæ ſpatio excruciati ſunt, incerti, quid illi contigiſſet, aut quibus de cauſis ipſe ſe ſubducere voluiſſet. Cum vero illum inveniſſent, dum omnium oculos ad ſe raperet, mirari primum, deinde ab eo mater quæſivit, quidnam tantopere ipſos fruſtra ſe quæri permittens, afflixiſſet? Cui Jeſus, in iis muneribus, quæ ad Patrem ſuum pertinent, ſeu, ut alii vertunt, in domo Patris ſui ſe inquirendum fuiſſe reſpondit. Quod quidem reſponſum non ſatis illi aſſecuti ſunt. Dubitabant fortaſſe, vellet ne in Templo ſemper agere, vel eo ſaltem frequenter adventare. Inde Nazaretham cum parentibus repetens, in eorum obſequiis uſque ad tempus ſui baptiſmi permanſit. Divini erat conſilii, ut multa Salvator, virtutumque Magiſter abſolutiſſimus, demiſ-

(*a*) Homil. 19. in Luc.

(*b*) Beda, Liran.

demiſſionis & modeſtiæ exempla præberet, quam omnibus in rebus, præcipue autem ubi agitur de obſervandis Parentibus, & Superioribus, a nobis ſervari neceſſe eſt.

S. Joſephi obitus. X. S. Joſephum ante Chriſti obitum interiiſſe, perſpicuum videtur; nulla enim vel in nuptiis Canæ Galilææ, vel alibi poſt inceptam Chriſti prædicationem Joſephi mentio. Ad hæc, Chriſtus moriens S. Joanni Virginem Matrem commendavit; quod profecto nequaquam præſtitiſſet, ſi Joſephus adhuc in vivis fuiſſet. S. Ambroſius nihilominus (*a*), & Scriptor vetus quidam (*b*), Joſephum tum ſuperſtitem ſtatuunt. Joſephi ſepulcrum in Valle Joſaphat prope Hieroſolymam ſtatuunt; qua de re nihil apud veteres. Ejus lipſana nullibi oſtenduntur, ſed quædam ſolummodo ad ipſum pertinentia, ut annulus, baculus, veſtis. Hinc nonnulli, eum reſurrexiſſe putarunt; quæ conjectura, niſi aliis fulciatur, tantæ rei adſtruendæ impar haberetur.

Va-

(*a*) In Luc. XVIII.
(*b*) Auctor de Paſſio- ne Domini, inter Opera Cypriani.

Variæ de annis Chriſti opiniones. Annus Herodis emortualis. Chriſtus natus eſt anno U. C. 749. Æra Vulgaris incipit anno U. C. 754. Duplex annus Chriſti natalis. Chriſtus anno trigeſimo baptizatur. Duplex Tiberii Imperium. Chriſtus annum trigeſimum tertium agens obiit. Quæ contra ex tabulis aſtronomicis objiciuntur, non ſunt attendenda.

C A P. V.

I. S. Lucas perhibet, Jeſum Chriſtum baptizatum fuiſſe a Joanne, cum *eſſet incipiens quaſi annorum triginta* (*a*). Hinc opportunum ducimus, ea hoc loco delibare, quæ viri in Chronologia doctiſſimi de annis Chriſti pertractarunt, ſumma quidem animi viriumque contentione, minori tamen, quam pro apparatu, ſucceſſu, cum res ambigua adhuc ſit, ac centum fere diverſis Auctorum ſententiis diſtracta, pendeat incerta. Quæ tamen probabiliora nobis videntur, in medium proferemus, aliorum opinionem ſubinde indicantes. *Anni Chriſti adhuc ſunt incerti.*

II. Principio ultro fatemur, Eccleſiam nunquam ad haſce quæſtiones chronologicas ſuam demiſiſſe majeſtatem, aut ſuum interpoſuiſſe judicium. Conſtat etiam ex Antiquis alios alio abiiſſe; fuerunt enim, qui 30. qui 31. qui 32. qui 33. qui 34. quive 40. 46. ac etiam *Variæ de annis Chriſti ſententiæ.*

50.

(*a*) Luc. III. 23.

50. annos Chriſto attribuerint (*a*). Rari tamen ſunt, qui a 33. recedant. Quin ſententia hunc annorum numerum complectens adeo in Eccleſia obtinuit, ut Beda illam ad fidem pertinere cenſuerit (*b*). Ab hac communi perſuaſione receſſit tertio decimo Eccleſiæ ſæculo Rogerius Bachonus, Ordinis Minorum Scriptor, aſſerens, Chriſtum anno ætatis ſuæ 37. obiiſſe; quæ tamen ſententia ut paruit ab omnibus rejecta eſt. Sed cum Alphonſus Toſtatus celeberrimus Eccleſiæ Abulenſis Epiſcopus ſæculo decimo quinto Rogerii partes ſecutus fuiſſet, illa opinio exinde complures nacta eſt ſectatores, & modo inter Eruditos invaleſcit. Verum cum hujus ſententiæ nullum extet apud Veteres veſtigium, ſua novitate nobis diſplicet. Antequam tamen illi convellendæ, & alteri, quæ in Eccleſia tantopere probata eſt, firmandæ, manus admoveamus, ſtabiliendum eſt, quo anno Chriſtus in Mundum paruerit.

Annus Herodis emortualis.

III. Ex Magorum hiſtoria, a S. Matthæo deſcripta, liquido conſtat, Chriſti Nativitatem Herode Magno, ſive Infanticida adhuc in vivis agente, contigiſſe (*c*). Porro Herodes teſte Joſepho Regiam Dignitatem obtinuit a Romanis *Olympiade* 194. *Cajo Domitio Calvino iterum, & Cajo Aſinio Pollione Conſulibus* (*d*); hoc eſt, ut ex Faſtis apparet, anno

(*a*) Vide diſſert. ad calcem Ration. Petav.

(*b*) De ration. Temp. & de Bello, l. 1. c. 14. c. 45.

(*c*) Matth. 11. 1.

(*d*) Antiq. l. 14. c. 14.

anno Urbis Conditæ 714. Auguſti à Cæſaris nece quinto, & correctionis Julianæ ſexto. Hæc autem evenere circa ſolſtitium æſtivum, antequam Olympias 194. deſineret, inciperetque 195. cujus exordium, juxta Calviſium, in diem 17. Auguſti incidit. Compertum etiam eſt ex eodem Joſepho, Herodem rebus præfuiſſe annos 37. ex quo Rex ſalutatus fuerat a Romanis, licet regnaverit annos tantummodo 34. à capta Hieroſolyma interfectoque Antigono, ultimo Machabæorum, ſivè Aſſamonæorum Principe (*a*). Si igitur anno U. C. 714. anni 37. Regni Herodiani addantur, pervenietur ad annum U. C. 751. Cum autem Joſepho ſolemne fuerit adhibere annos non integros, completoſque, ſed inchoatos, recta conſecutione ex dictis inferre poteris, Herodem ante ſolſtitium æſtivum ejuſdem anni U. C. 751. deceſſiſſe. Hic vero in diverſa abeunt Eruditi; nam Uſſerius, Scheleſtratius, Franciſcus Blanchinus, Antonius Pagius, aliique complures, Herodem obiiſſe autumant anno præcedente 750. die 25. Novembris, ut in Kalendario Judaico perſpicue definitur; Noriſius vero, Ægidius Bucherius, Samuel Baſnagius, & Berti, Kalendario Judaico ea in re inſuper habito, defunctum cenſent imminente Paſchatis Feſto ejuſdem anni 751. Joſepho equidem narrante ſcimus, tempore paſchali nonnullos Judæorum deflevisse Matthiam alioſque Aquilæ aureæ violatores ab Herode ſupplicio affectos, ſimulque *in defunctum Regem con-*

(*a*) Antiq. l. 17. c. 10. & de Bello, l. 1. c. ult.

convicia jactaſſe (*a*). Et quamvis admittendum ſit, Judæos ad tempus animi ægritudinem diſſimulaſſe, illam tamen a Novembri ad Paſcha uſque corde intimo compreſſiſſe, vix, ac ne vix quidem crederemus (*b*).

Chriſtus natus eſt anno Urbis Conditæ 749. IV. Verum ſive Novembri anni U. C. 750. mortuus fuerit Herodes, ſive circa Paſcha, quod proxime ſubſecutum eſt, Chriſti Nativitas anno U. C. 751. conſignari nequit, quia cum ex conſtantiſſima Eccleſiæ traditione ipſe natus ſit die 25. Decembris, Herodes diu ante illud tempus jam ſublatus fuerat. Hinc rejiciuntur tres ſententiæ, quas ſummi alioquin viri quondam ſuſtinuere. Prima eſt Baronii, Gerardi Voſſii, Scaligeri, Langii, Calviſii, Saliani, Honorati, quæ eidem anno 751. altera Panvinii, Maldonati, Sigonii, Pererii, quæ anno 752. tertia Dionyſii Exigui, Joannis Lucidi, Burgenſis, Toſtati, Labbæi, quæ anno 753. Chriſti Nativitatem illigat. De aliis, quæ longius abeunt, a morte Herodis magis recedentes, non loquimur. Non poteſt autem Chriſti Nativitas retrahi ad annum 747. ubi illam collocant nonnulli. Quippe Chriſtus natus eſt toto Orbe in pace compoſito, ut fert communis Patrum traditio. Conſtat autem eo anno Tiberium Neronem de Germanis triumphaſſe, & in illos, nova molientes, arma iterum intuliſſe (*c*). Tota igitur controverſia ad annos U. C. 748. 749. &

(*a*) Antiq. l. 17. c. 7. Theolog. Diſcipl. l. 29. c. 1. & de Bello l. 2. c. 1. (*c*) Noriſ. differt. 2.
(*b*) Vide Berti de Cenotaph. Piſan. c. 10.

& 750. reſtringitur. Annum 748. tuentur uterque Pagius, Scheleſtratius, Franciſcus Blanchinus. Annum 749. malunt Uſſerius, Cappellus, Tirinus, Natalis, Graveſonius, Berti, Baſnagius, Noriſius. Annum denique 750. præfert Bernardus Lamyus. Nobis autem ſententia quæ anno 749. adhæret, probabilior videtur.

Christi Nativitas quadriennio Æram Vulgarem antevertit.

V. Æra namque Dionyſiana, ſive Vulgaris incipit anno Urbis Conditæ 754. ut mox probabimus. Hanc autem Æram ſolido quadriennio anteverti a Chriſti Nativitate, oſtendunt vetuſta Ægyptiaca monumenta (*a*); in quibus Euthalius Epiſcopus Sulcenſis ſcribit, a Salvatoris ortu ad uſque Leonis Auguſti Conſulatum exactos fuiſſe annos 462. Porro Leo Conſulatum iniit anno Æræ Vulgaris 458. Igitur quatuor integris annis ante annum U. C. 754. id eſt, anno 749. labente Chriſtus natus eſt.

Æra Vulgaris incipit anno U.C. 754.

VI. Quod autem Æra Vulgaris reapſe anno U. C. 754. incipiat, ita probatur. Initium Imperii Diocletiani, ſive Æra Martyrum Alexandrinorum incidit in annum Æræ Vulgaris 284. non vero in annum ſequentem, ut Scaligero viſum eſt. Siquidem S. Ambroſius annum vulgarem 373. quo Luna 14. incidit in diem nonam ante Kal. Aprilis, appellat *annum Diocletiani octogeſimum nonum*; & anno 377. quo Luna 14. incidit in V. Id. Aprilis, vocat *annum Diocletiani nonageſimum*

 ter-

(*a*) Zacagn. t. 2. Collect. Monum. Veter. Eccleſ.

tertium (*a*). Detractis autem annis 89. ab anno Æræ Vulgaris 373. reſidui erunt anni 284. detractiſque annis 93. ab anno 377. erunt pariter reſidui anni 284. Hoc ergo anno incipit Imperium Diocletiani; qui eſt U. C. 1037. quo Carinus iterum, & Numerianus Conſules prodiere. Si autem hinc retro numerentur anni 284. pervenietur ad annum 754. qui proinde Æræ Vulgaris primus erit. Mirandum autem non eſt, quod Vulgaris Æra falſa deprehendatur: hæc enim primis Eccleſiæ ſæculis adhiberi non conſueverat, cum anni vel Conſulum nomine, vel ab Urbe Condita, vel per Olympiades, vel ab immani Diocletiani perſecutione, quæ exeunte anno 302. & ineunte 303. incepit, numerari ſolerent; unde facile fieri potuit, ut poſt quinque ſæcula in definienda ipſius origine vel exordio, Dionyſius Exiguus Epochæ Auctor, erraverit.

Duplex anni Chriſti natalis.

VII. Duplicem ergo annum Chriſti natalem diſtinguere debemus. Alter eſt Dionyſianus, & Vulgaris, qui licet falſus ſit, ab omnibus tamen adhibetur, ne in temporum ſupputatione, aliis alias Epochas uſurpantibus, confuſio oriatur. Et juxta hanc hipotheſim Chriſtus ortus eſt die 25. Decembris anni Urbis Conditæ 753. Auguſti 44. correctionis Julianæ 45. Mundi 4004. Periodi Julianæ 4713. 4. Olympiadis 194. Cornelio Lentulo, & L. Calphurnio Piſone Conſulibus. Initium tamen hujus Epochæ in exordium ſequentis anni Juliani 46.

(*a*) Epiſt. ad Epiſcopos Emiliæ.

46. conjectum eſt, quo ambo illi anni, Julianus ſcilicet & Dionyſianus, pari currerent paſſu, a Kalendis Januarii iter ſuum aggredientes. Hinc ab iis qui noſtræ ſententiæ adhærent, Chriſti Nativitas triennio tantum Æram Vulgarem præcedere dicitur. Alter annus Chriſti natalis dicitur verus, qui tamen incertus eſt, & varius pro opinionum varietate; & juxta ſententiam quam ſequimur, Chriſtus in Mundum paruit die 25. Decembris anni U. C. 749. Auguſti 40. correctionis Julianæ 41. Mundi 4000. Periodi Julianæ 4709. 4. Olympiadis 193. Auguſto XII. & Sulla Conſulibus. Quæ tamen Epocha jungitur ſequenti anno Juliano 42. ut ſimul gradiantur annus Julianus, & annus Chriſti. Habes ergo ex noſtris calculis, annum præſentem non eſſe a Chriſti Nativitate 1749. ſed 1753. Hactenus de Anno Chriſti natali.

Nonnulli Chriſtum ad Baptiſmum veniſſe volunt, cum annum trigeſimũ quartum ageret.

VIII. Chriſtum veniſſe ad baptiſmum, cum annum vitæ ſuæ ageret trigeſimum, una eſt totius Antiquitatis vox, cui conſonant omnes Recentiores, ſi nonnullos excipias, inter quos Natalis recenſetur, qui volunt, Salvatorem aquis tinctum fuiſſe anno trigeſimo tertio, aut trigeſimo quarto. Ita vero horum annorum rationem ſupputant. Cum a morte Auguſti, quæ contigit die 19. menſis Sextilis, ſive Auguſti, anni Juliani 59. repetendum ſit initium Imperii Tiberii, conſequens eſt ut annus illius Imperii 15. initium habuerit a menſe Auguſto anni Juliani 73. quo quidem anno Joannes Baptiſta prædicare cœpit Baptiſmum Pœ-

nitentiæ (*a*); idque probabiliſſime menſe ſeptimo, qui Pœnitentialis ob Expiationis Feſtum a Judæis dicebatur, ac noſtro Septembri & Octobri reſpondet. Cùmque Chriſtus baptizatus fuerit die ſexta Januarii, ut Eccleſiæ traditione conſtat, & S. Joannes, antequam Salvator ad ipſum accederet baptiſmi recipiendi cauſa, longiorem curſum impleverit (*b*), qui certe non videtur minor annuo; quandoquidem tantam ſibi comparaverat auctoritatem, ut a compluribus dubitatum fuerit, num ipſe Chriſtus eſſet, ſive Meſſias (*c*); ideo non videtur baptiſmus Chriſti referri debere ad proxime ſequentis eam S. Joannis vocationem anni Juliani 74. ſed ad alterius anni, ſcilicet 75. diem ſextam Januarii, quo Chriſtus annum 33. compleverat, & 34. inchoaverat; nam ipſum natum fuiſſe anno Juliano 41. certum eſt. Ita illi.

Chriſtus annum agens trigeſimum baptizatus eſt.

IX. At nos Veterum ſententiam tenentes, Chriſtum baptizatum fuiſſe ineunte anno ætatis ſuæ trigeſimo dicimus, minimeque dubitamus, hoc idem aſſeri a S. Luca, ubi de Chriſto baptizato ſcribit: *Et ipſe erat incipiens quaſi annorum triginta* (*d*). Nec ſane aliam interpretationem verbis Lucæ tribuere poteris, quin illis manifeſtam vim inferas. Quid ergo ad tam expeditum, apertumque momentum adverſarii? Ajunt quidam, particulam illam *incipiens* non anni trigeſimi, ſed prædicationis Chriſti eſſe notam, quaſi tunc inciperet palam pro-

(*a*) Luc. III. 1.
(*b*) Act. XIII. 25.
(*c*) Luc. III. 15.
(*d*) Ibid. III. 23.

prodire, & manifeſtari tamquam Meſſias. Sed hæc perperam dicuntur; nam S. Lucas laudato textu & inſequentibus uſque ad finem capitis tertii, de Chriſto baptizato, ac de illius genealogia loquitur, non vero de Chriſti miniſterio, de quo nonniſi a verſu decimo quinto ſequentis capitis quarti, poſt narratum ejus jejunium & tentationem, verba facere cœpit. Reſpondent alii, particulam *quaſi*, ſive *circiter*, ut eſt in Græco, non eſſe ſemper diminutivam, aut deſignativam, ſed interdum permittere aliquid addendi libertatem. Eſto id aliquando verum ſit; minime tamen nunc: cum enim particula *quaſi* juncta ſit alteri, ſcilicet *incipiens*, eam libertatem omnino amputat. Hinc Verſiones Perſica & Arabica, quibus congruunt Syriaca, & Æthiopica, habent: *Et Jeſus cœperat ingredi in trigeſimum annum*.

X. Ut vero reſpondeamus argumento ex anno quinto decimo Imperii Tiberii petito, dicimus, duplex fuiſſe Tiberii Imperium, alterum nempe Auguſtale, quod incepit a morte Auguſti, quando Tiberius ſolus rerum potitus eſt; alterum vero Proconſulare, quando una cum Auguſto Rempublicam, Roma tamen excepta, adminiſtrare cœpit (*a*). Licet autem diſſidium ſit de hujus Imperii exordio, aliis illud conſignantibus anno U. C. 763. aliis 764. aliis 765. aliis 766. de ipſo tamen Imperio immerito quis dubitaret. Quo igitur S. Lucæ teſtimonium cum perpetua, & univer- *Duplex Tiberii Imperiũ.*

E 3 ſali

(*a*) Vellej. Pater. l. 2. c. 12. Svet. in Tiber. c. 21.

ſali Patrum traditione conciliemus, Evangeliſtam de hoc Proconſulari Imperio interpretamur, aſſerimuſque, annum illius decimum quintum concurrere cum anno U. C. 779. Juliano 41. Chriſti 30. & Æræ Vulgaris 26.

Eodem anno, quo Joannes prædicare cœpit, Chriſtus baptizatus eſt.

XI. An autem Chriſtus eodem anno decimo quinto Imperii Proconſularis, quo Joannes cœpit prædicare, baptizatus fuerit, diſputatur, Pagio, Scheleſtratio, & Graveſonio in annum ſequentem inclinantibus. Neceſſe autem non eſt ut horum ſententiam ſequamur, nam annus decimus quintus Imperii Proconſularis congruit annis Æræ Vulgaris 25. & 26. cum Tiberius Imperium Auguſtale menſe Sextili indeptus fuerit. A Septembri autem anni 25. uſque ad diem 6. Januarii ſequentis anni 26. quatuor menſium decurſu, potuit Joannis nomen undique reſonare, & ad Jordanem populi multitudo confluere. His accedit, quod non expleto Joannis miniſterio, ſed cum *impleretur*, Chriſtus baptiſmum ſuſcepit (*a*).

Chriſtus poſt baptiſmum quatuor Paſchata celebravit.

XII. Ut diſſertationem de annis Chriſti abſolvamus, agendum tandem eſt de anno quo mortuus eſt; quod ita exequimur. Inter Chriſti baptiſmum & ipſius prædicationem, ſeu nuptias in Cana Galilææ ipſo præſente celebratas, S. Irenæus multos annos fluxiſſe putavit, cum ſcripſerit, Salvatorem anno ætatis ſuæ 40. vel 50. obiiſſe (*b*), deceptus illis Judæorum ad Chriſtum verbis: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti* (*c*)? Uſſe-

(*a*) Act. XIII. 25. c. 3. & 40.
(*b*) Adver. Hær. l. 2. (*c*) Joan. VIII. 57.

Digitized by Google

Uſſerius ſpatium illud quadriennio definit (*a*). S. Thomas (*b*), & alii nonnulli (*c*) anno coarctant. Verum ſententia magis probata duobus circiter menſibus limitat (*d*). Et quidem majus tempus exigere non videntur Chriſti in deſertum ſeceſſio, jejunium, tentatio, novus ad Joannem acceſſus, & Andrææ, Petri, Philippi, ac Nathanaelis vocatio, quæ nuptias illas præceſſerunt. Exinde autem quatuor Paſchata Chriſtus celebravit; primum ſcilicet, cum vendentes ejecit e Templo (*e*); alterum, cum languidum ſanavit (*f*); tertium, cum quinque hominum millia ſatiavit (*g*); ultimum, cum Euchariſtiam inſtituit, pridie quam in Crucem ageretur.

Annus Chriſti emortualis eſt trigeſimus tertius.

XIII. His præmiſſis tota annorum Chriſti ſumma ita colligitur. Chriſtus natus eſt anno U. C. 749. Addantur anni triginta, ad quos pervenit, antequam baptiſmum ſuſciperet. Habetur annus 779. Junge quatuor Paſchata, ſive tres Prædicationis annos. Prodibit annus 782. His ſi demas annos 749. reſidui erunt anni 33. quibus Chriſti vita definitur. Cui numero ſuffragantur accuratiſſimi Chronologi Capellus, Henſchenius, Noriſius, Pagius, Scheleſtratius, Graveſonius, Blanchinus, Berti, ac ne ſingulos commemorem, cum aliis Acatholicis junioribus Joannes Clericus.

E 4 XIV.

(*a*) Ad annum 4033. 4034. &c.

(*b*) Lect. 1. in c. 2. Joan.

(*c*) Simon a Caſſia Hiſtor. Evang. l. 5. c. 1.

(*d*) Gotti de Chriſti Mirac. §. 4. n. 50.

(*e*) Joan. 11. 14.

(*f*) Joan. v. 1.

(*g*) Joan. vi. 4.

Objectio ex tabulis Aſtronomicis petita. XIV. Poſt Rogerium Bachonum Alphonſus Toſtatus, Paulus Burgenſis, Scaligerus, Vecchietus, Uſſerius, Lancellotus, Tillemontius, Natalis, Lamyus, Calmetus, Purchotius, Corſinius, & alii complures, contra noſtram ſententiam ita argumentantur. Mors Chriſti eo anno contigit quo ſimul convenere dies Veneris, & Luna decima quinta menſis Niſan, ſive Paſchalis. De die Veneris ſive paraſceve, Evangelium dubitare non permittit (*a*). De Luna quoque decima quinta, paſchali ſolemnitati, quam Chriſtus ante obitum celebravit, adſcripta, extat Levitici ſanctio (*b*). Inter omnes autem annos, qui in controverſiam vocari poſſunt, nullus invenitur, in quem ſimul convenerint dies Veneris, & Luna decima quinta Niſan, præter annum Julianum 78. ut patet ex tabulis Aſtronomicis in eam rem confectis; eo enim tantum anno, die tertia Aprilis, ſexta feria, ſive dies Veneris, & Luna decima quinta ſibi invicem occurrunt. Ergo hoc anno & die conſignanda eſt Chriſti mors. Porro annus Julianus 78. correſpondet anno U. C. 786. Imperii Tiberii 19. Mundi 4037. Æræ Vulgaris 33. Periodi Julianæ 4746. primo Olympiadis 203. Ser. Sulpicio Galba, & L. Cornelio Sulla Conſulibus. Ex quibus habetur, Chriſtum vixiſſe annos 36. menſes 3. dies 9. & horas circiter 15.

Calculi Aſtronomici incerti. XV. Huic argumento, cui tantopere fidunt Adverſarii, reſpondent Kepplerus, Petavius, Papebrochius, Honoratus, Berti, calculos

(*a*) Joan. XIX. 31. (*b*) Levit. XXIII. 5.

culos Aſtronomicos ad vetuſta Judæorum Paſchata inveſtiganda minime eſſe idoneos, quod ii communi anno, vulgarique Kalendario addicti, ac rerum Mathematicarum minus gnari, exactis Solis & Lunæ cyclis non uterentur. Antiquiſſimus ſane Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctor, quicumque ille ſit, habet: *Judæi in ipſo etiam calculo falluntur, quem putant ſe recte tenere* (*a*). Adde, ipſas Aſtronomicas tabulas, ob non ſatis compertum Aſtrorum motum aliquando minus rectas inveniri. Henſchenius ſane teſtatur, ſe vidiſſe 24. tabulas pro ſtatuendo mortis Chriſti tempore, atque eas omnes inter ſe ſe maxime diſcrepaſſe (*b*). Nonne Aſtronomicæ tabulæ ab aliis confectæ ab aliis emendatæ fuere? Certe id haud negabunt, qui aliquid de Metone, de Calippo, de Ptolomæo, de Alphonſo, de Copernico norunt.

XVI. Ceterum ſunt qui tradant, Judæos Herodis juſſu, poſt captam ab eo Hieroſolymam, ſervaſſe lunarem curſum ad Romanorum calculos; ex quibus pateat anno U. C. 782. Juliano 74. Imperii Auguſtalis Tiberii 15. Proconſularis 18. Mundi 4033. Æræ Vulgaris 33. Periodi Julianæ 4742. primo Olympiadis 202. C. Rubellio Gemino, & C. Fuſio Gemino Conſulibus, qui eſt ipſiſſimus annus Chriſti 33. revera die 25. Martii ſextam feriam, & Lunam decimam quintam ſimul conveniſſe. Veteres ſane aliud non commemorant *Confirmatur, anno 30. Chriſtum obiiſſe.*

rant

(*a*) Lib. 5. c. 17.

(*b*) Bolland. t. 3. Martii die 25. pag. 510.

rant ad deſignandum annum diemque Chriſti emortualem, quam annum Tiberii 15. Conſulatum duorum Geminorum, & VIII. Kal. Aprilis (*a*). Cum autem ex Eccleſiæ traditione certum ſit, Dei Filium carnem ſumpſiſse eadem die 25. Martii, exploratum pariter erit, ipſum ab Incarnatione quidem annos egiſse in Terris 23. completos, a Nativitate vero annos 32. menſes tres, & horas circiter quindecim.

S. Jo: Baptiſta Præcurſorem agit, a quo Chriſtus baptizatur. Chriſti jejunium & tentatio. Joannis de Meſſia teſtimonium. Primi Chriſti Diſcipuli.

CAP. VI.

ANNO MUNDI 4030. Chriſti 30. Æræ Vulgaris 26. *S. Jo: Baptiſta Præcurſorem agit.*

I. ANno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris Pilatus ab eo Imperatore in Judæam miſsus, provinciam illam adminiſtrabat, gemini vero Herodes, Antipas & Philippus, fratres, Tetrarchæ nomine, alter Galilæam, alter Ituræam & Trachonitidem regebant; eodemque nomine & auctoritate Lyſania, ſive Lyſias, filius fortaſse, aut nepos alterius Lyſaniæ, quem Marcus Antonius necarat (*b*), Abilinæ, parvæ inter Libanum & Antilibanum regioni, præſidebat; ſummumque tandem Sacerdotium tenebant Anna & Caiphas (*c*). Nonnulli putant,

(*a*) Vide Berti, de 17. c. 15. Dio l. 49.
Theol. Diſcip. l. 29. c. 7. (*c*) Luc. III. 1. 2.
(*b*) Joſeph. Antiq l.

tant, Caipham dumtaxat per id temporis fuiſſe ſummum Sacerdotem, Annam vero ipſius Vicarium (*a*). Alii cenſent, ambos æque geſſiſse Sacerdotium; qui tamen non ſimul, ſed alternis annis, ſeu vicibus fungerentur (*b*). Ceteri denique malunt, Caipham ſolum rebus ſacris præfuiſse, Annam vero dici ſummum Sacerdotem, quod antea eo munere functus fuiſſet (*c*). Hoc eodem tempore Joannes Zachariæ filius, vocatus a Deo, deſertum reliquit, ubi vitam egerat frugi oppido & auſteram; quippe qui ſolis locuſtis, & melle ſylveſtri victitabat, cibo adeo tenui contentus, ut dicere non dubitaverit Chriſtus, illum neque comedere, neque bibere. Judæi vero addebant, illum a Dæmone poſſideri (*d*); qui enim a Dæmone, & atra bile occupantur, a cibo interdum abſtinent. Locuſtæ, Joannis cibus, nonnullis ſunt herbæ, arborum gemmæ, poma, nuces, ſiliquæ, cancri marini. Mel vero, ſi quibuſdam fides, eſt manna, aut cujuſdam frondis genus. Sed quorſum hæc? Locuſtæ fumo, clibanoque ſiccatæ, quemadmodum & mel ex agreſtibus apibus, reliquo licet minus dulce, cibi ſunt in Judæa, viciniſque regionibus uſitatiſſimi, ut teſtantur Itinerantes. Veſtis Joannis erat ex aſperis cameli villis, quam noſtro more potius cilicium diceres; eamque zona pellicea adſtringebat. Propius ita-

(*a*) Scalig. Caſaub. Beza, Calm.

(*b*) Gotti, & Berti plures ex Antiquis laudantes.

(*c*) Valeſ. Graveſon.

(*d*) Matth. III. 1. 2. XI. 18. Luc. VII. 33.

itaque ad Jordanem accedens, e regione Jericho ſe conſtituit, ibique Eliam qua zelo, qua auſteritate vitæ, qua ipſo externo corporis indumento referens, munus Præcurſoris Domini auſpicatus eſt. Diſponendis hominibus ad pœnitentiam annuntiabat, appropinquaſſe jam Regnum cælorum; nempe Meſſiam, tanta ſæculorum omnium expectatione deſideratum, eſſe jam in limine, brevique pariturum, ut Eccleſiam ſuam inſtitueret. Ex omni parte concurrebant populi ad Joannem, quos ſua peccata confitentes in Jordane baptizabat; ex quo cognomentum illi inditum Baptiſta. Cum ceteris admixtos ex Phariſæis & Sadducæis quamplurimos vidiſſet, ſermonem ad illos convertit, dixitque: Viperæ & viperarum filii, futurum ne ſperatis ut Dei furorem vitetis, dum ſceleſte vivitis, conſtantiſſimi paternorum criminum imitatores? Quæ ad turbas quoque referens (a) hortabatur, ut externo illi pœnitentiæ apparatui, interiorem etjam flagitiorum execrationem, contrariaſque flagitiis virtutes adderent; nec nimis gloriarentur filiorum Abrahami dignitate, cum pios homines, tantoque patre dignos poſſit Deus excitare vel ex ipſis Gentilibus, qui obſtinati in impietate & duri ceu lapides ab illis æſtimabantur. Minitatus deinde, Deum populi criminibus provocatum, in vindictam ruere, & ad radicem arboris ſecurim jam poſitam eſſe, nullamque arborem bonis fructibus vacuam, excidio, & incendio non tradendam. Territæ his

(a) Matth. III. 7. Luc. III. 7.

his turbæ, quid ſibi agendum eſset, ab eo exquirebant. Quibus ille, ut ſibi non neceſsaria, pauperibus largirentur, imperavit; publicanos vero & milites monuit, ne ceteros vi & injuriis opprimerent, iis contenti vectigalibus & ſtipendiis, quos Reges conſtituiſsent.

Joannes ſe eſſe Chriſtum negat.

II. Cum univerſa tunc Judæa, imo totus late Oriens in Meſſiæ expectationem ſuſpenſus eſſet (*a*), impletaque cernerentur tempora omnia per Prophetas de illo ſignificata, ſuccurrit pluribus, num Joannes Meſſiæ perſonam gereret & officium; quam quidem opinionem miracula a Deo in illius conceptione & nativitate edita, ejuſque vitæ innocentia, ſanctitas, auſteritas, dogmata, prædicatio, plauſus inſinuabant. Verum quamvis vir iſte a Deo miſſus, tot tantiſque virtutibus & privilegiis clareſceret, plurimum tamen diſtabat ab illa Luce, qua homines univerſi illuſtrandi erant, eaque tantum de cauſa Joannes a Deo miſſus fuerat, ut Luci illi, Chriſto ſcilicet, teſtimonium ferret, quo facilius Mundus in ipſum crederet (*b*). Hinc, cum ad Joannis aures perveniſſet, quid vulgo de ipſo cogitarent, alium ſtatim ſe a Meſſia coram omnibus profeſſus eſt; veniſse autem ſe, ut aqua populum baptizaret, cum Meſſias, ſive Chriſtus baptizaturus eſset Spiritu ſancto, & igne, cui ipſe virtute, & dignitate, quamvis non ætate, multo concedens, ne ſolvere quidem calceamentorum ipſius corrigiam auderet.

(*a*) Svet. in Veſp. c. 4. Joſeph. Antiq. l. 7. c. 12. Tacit. hiſtor. l. 5. c. 4. &

(*b*) Joan. 1. 6.

deret. Scirent autem, eum bonos a malis ſegregaturum, purgandæque areæ ventilabrum in manu tenere, quo triticum in horreum recondatur, paleæ vero, quiſquiliæque igni nunquam extinguendo tradantur (*a*).

ANNO MUNDI 4030. Chriſti 30. Æræ Vulgaris 26. *Chriſtus baptizatur.*

III. Secundum hæc, venit & Jeſus ad Joannem ex Galilæa, ut baptiſmum ab eo una cum ceteris acciperet. Ubi Jeſum vidit, ſtatim agnovit Joannes, ſeque potius ab illo abluendum inclamavit. Sed Jeſus in propoſito manens: Explendum, inquit, nobis eſt quidquid bene & laudabiliter a ceteris agitur. Sunt qui credant, Jeſum a Joanne tinctum baptiſmo, ipſum deinde Joannem ſuo baptiſmo initiaſſe. Illud certe negandum non eſt, Joannem baptiſmo Spiritus a Jeſu donatum fuiſſe. Tunc autem Jeſus ſacras fecit aquas Jordanis, ſuaque ipſius præſentia & ſecreta virtute elementum illud purgavit, purgandiſque hominum criminibus aptum reddidit (*b*), quo etiam ritu Judaicas luſtrationes abolevit, ut unicam ſui baptiſmi induceret; quam tamen neceſſariam eſſe nonniſi diu poſt prædicavit (*c*). Cum ex aqua egreſſus Chriſtus oraret, continuo diſrupto Cælo inopina ſcilicet quidam luce ex imo Cælorum vel nubis ſinu erumpente, Spiritus ſanctus columbæ ſpecie ſuper illum deſcendit; ſimulque audita vox de Cælo dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo*

(*a*) Joan. 1. 34.

(*b*) Auctor Oper. Imperf. Hilar. Ambroſ. Origen. Auguſtinus ſæpiſſime, Hieron.

(*c*) Chryſoſt. hom. 12. in Matth. Auguſt. in Joan. 1. tract.

quo mihi bene complacui. Atque ita in Chriſti baptiſmo auguſtiſſima Trinitas ſe ſe manifeſtavit, & Miſſio Chriſti, qui mox Evangelium erat prædicaturus, Patris teſtimonio, & Spiritus ſancti illapſu, nedum Joanni, ſed & omni populo confirmata eſt. Controvertitur autem, num columba, in qua Spiritus ſanctus apparuit, ſpeciem dumtaxat habuerit columbæ, an etiam verum corpus. S. Thomas poſteriorem ſententiam tuetur, aſſeritque, nefas eſſe, Spiritui Veritatis corpus non verum, ſed phantaſticum tribuere (*a*). Nonnulli autem removent tam corpus verum, quam phantaſticum columbæ, rati, Evangeliſtam id tantum tradere voluiſſe, ſcilicet ignem e Cælo lapſum ea pernicitate, quo rapi ſolet columba (*b*).

Luſtrationum origo.

IV. Judæi plurimis baptiſmis, & purificationibus utebantur. Nudatum corpus aqua totum immergebatur; ſeorſum deinde lavabantur veſtes; una ſimul cum veſtibus ſe totos aliquando infundebant. Namque & veſtes ſine corpore, & viciſſim, nunquam ablui conſueviſſe, doctrina eſt apud Judæororum Doctores aſſerta. Singularis autem erat Proſelytorum baptiſmus; de quo alibi ſatis ſuperque dictum (*c*). Porro quæcunque hæc fuerint baptiſmata, derivata ſuſpicamur e luſtrationibus, ſive aſperſionibus quibuſdam ſub Lege uſitatis, neque

(*a*) S. Thom. 3. p. q. th. 1. 17. 39. a. 7.

(*b*) Boch. Le Clerc, l. 2. c. 2. n. 8. & alii apud Calm. in Mat.

(*c*) Vide hanc hiſtor.

Digitized by Google

que in cæremoniis Paganorum ignotis. Quæ enim tenebat omnium mentes de ſummi Numinis majeſtate, atque debita ad ejus cultum ſe conferentibus morum ſanctitate, & innocentia, idea illud ſtatim ingeſſit, ut purificationem per balnea & luſtrationes aquæ, ignis, vel ſulphuris exegerent. Grotius obtinuiſſe baptiſmata jam inde poſt Diluvium, in memoriam expiati per aquarum inundationem Mundi, arbitratur. Facile tamen ejus cæremoniæ apud Judæos auctores fuerunt Phariſæi, qui ultra præſcriptos a Lege, ritus, moreſque invexerunt.

Baptiſmũ Joannis comitabantur pœnitentia, & confeſſio.

V. Duo autem in Joannis baptiſmate erant ſingularia, quibus conſueta Judæorum baptiſmata ſuperabantur. Primo enim cæremoniam illam comitabatur pœnitentia; quam non in ſolo criminum dolore, ſed & in operibus ſatisfactoriis, & vitæ ad meliora traductione a S. Joanne conſtitutam fuiſſe, ſatis indicant verba illa: *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*a*). Deinde baptiſmate abluti fatebantur anteactæ vitæ ſcelera, non ſolum confuſa quadam accuſatione, qua ſe peccatores viri illi proderent, ſed & diſtincta de ſingulis criminibus contra Legem admiſſis confeſſione. Hoc quidem ſentiunt plurimi ſane Interpretes Scripturarum, ubi in illis ſermo fit de confeſſione; ſed idem majori pietate & confidentia facturos, ad Joannem, Sacerdotem, Prophetam, ac ſpectatæ virtutis virum, Judæos

(*a*) Matth. III. 8.

dæos veniſſe, docent. Excipe tamen ea, quæ cognita capitis pœnam non effugiſſent (*a*).

VI. Diſcipuli Joannis nullum quidem habuerunt præceptum ab eo, ut baptiſmi ab illo inſtituti uſum perennarent. Verum injuſſi licet accedentes ad ſe illo ritu, vel poſt mortem magiſtri, initiabant (*b*). Hodie etiam in Oriente audiuntur diſcipuli S. Joannis Baptiſtæ, *Zabii* appellati, qui illius baptiſma frequentantes, ex ritibus Judaicis, Chriſtianis, & Turcicis male compactum Religionis corpus conflarunt (*c*).

Quamdiu Joannis baptiſmus perduraverit? Quinam Zabii?

VII. Quamvis autem Joannis Baptiſmus Baptiſmo Judæorum perfectior eſſet, Chriſti tamen Baptiſmo longe concedebat. Peccata enim ſua virtute non tergebat, ſed mediis pœnitentiæ operibus ad Chriſti Baptiſmum, & peccatorum remiſſionem apparabat. *Pontis inſtar*, ait S. Jo: Chryſoſtomus, *qui a Baptiſmo Judæorum ducebat ad Baptiſmum Chriſti; primo altior*, *ſed inferior ſecundo* (*d*). Hæc apud omnes rata ſunt. Quod vero controvertitur, illud eſt, quid ſcilicet ſibi velint illa Joannis verba: *Ipſe*, Chriſtus nempe, *vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne* (*e*). Sacra Pentecoſtes die, Diſcipuli Spiritum ſanctum accepere, igneæ linguæ forma labentem, poſt vehementis procellæ fragorem. Hæc fortaſſe ſpe-

Quid Baptiſmus in Spiritu ſancto, & igni?

(*a*) Vide Grot. in Matth. III. 6. & Janſ. Eſt. Calm.

(*b*) Act. XVIII. 25. & XIX. 1.

(*c*) Calm. dict. V. *Zabii*.

(*d*) Chryſoſt. tom. 1. hom. 24

(*e*) Matth. III. 11.

ſtavit Joannes; eoque reſpiciunt vulgo Patres omnes & Interpretes. Ceterum ad *Spiritum ſanctum* quod pertinet, ſatis convenit, per Baptiſmum Chriſti rite ſuſceptum, Spiritum ſanctum in corda Fidelium illabi. Sed de Baptiſmate *ignis* in diverſa abitum eſt. Plures ex veteribus autumarunt, Fideles ante Paradiſi aditum tranſmittendos per ignem, cujus ſcilicet flammis abſumeretur quicquid reliquum eſſet ſcoriæ vitiorum (*a*). Hunc autem ignem Patres poſteriorum ſæculorum & Scholaſtici *Purgatorium* appellarunt. Auctor Operis Imperfecti ignis nomine reddit ærumnas, mala, tentationes, quibus homines pios Deus in hoc Mundo exercet (*b*). Contraria omnia probantur S. Joanni Chryſoſtomo, cui ignis eſt redundans gratiarum, bonorum, & ſupernaturalium voluptatum affluxus (*c*). Ignis nomine Exorciſmos, Baptiſmum præcedentes, deſignatos autumat S. Auguſtinus ſcribens in Pſalmos; qui tamen alibi proniorem, communioremque opinionem complectens, ignis nomine ipſum Spiritum ſanctum, ſuper Apoſtolos igneæ linguæ forma deſcendentem, indicari ſcribit (*d*). Veteres quidam Hæretici, uti Seleuciani, & Hermæ ſectatores, verba Joannis ad literam uſurpantes, in adminiſtratione Baptiſmi ignem neceſſarium contendebant; ſed quo ritu id præſta-

(*a*) Origen. Epiphan. Ambroſ. Lactant.

(*b*) Hom. 3. in Matth.

(*c*) Hom. 11. in Matth.

(*d*) Auguſt. in Pſ. *66.* 11. 12. Ser. 71. de Verb. Apoſt. Matth. n. 19.

ſtarent, cuique corporis parti ignem applicarent, nemine docente, ignoratur (*a*).

Chriſtus tentatur.

VIII. Statim a baptiſmo Jeſus ductus eſt in deſertum a *Spiritu*, *ut tentaretur a diabolo* (*b*). Fueritne Spiritus ſanctus, qui in ipſum poſt baptiſmum in columbæ ſpecie deſcenderat, an ſpiritus dæmoniacus, a quo deinde Hieroſolymam translatus eſt, definiri non poteſt. Priorem tamen opinionem præferimus, quod per Evangeliſtam Spiritus iſte a Diabolo diſtingui videatur. Latet pariter, quam in ſolitudinem ſeceſſerit Chriſtus, quamvis oſtendatur peregrinis mons Jerichunti ſeptemtrionalis, nomine *Mons quadrageſimæ*, quod ibi Chriſtus 40. dies latuiſſe credatur. Ubicumque fuerit illud deſertum, poſt productum in eo 40. diebus jejunium, tandem eſuriit, ſeſeque fami, cujus vim hactenus coercuerat, permiſit (*c*). Tunc obvium habuit tentatorem, ſive Diabolum, a quo lapides oblatos, ut in panes verteret, famem levaturus, ſollicitabatur illis verbis: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*. Patres plerique putavere, diabolum, cum ignoraret, quis Chriſtus eſſet, Deus ne, an merus homo, tametſi omnium longe optimus, toto illo quadraginta dierum ſpatio eum obſervaſſe, auſumque tum denique fuiſſe ad illum humana ſub ſpecie accedere, cum eſurientem vidiſſet, ut illius conditionem,

(*a*) Auguſ. hær. 59. 1. 13. Philaſtr. c. 55.

(*b*) Matth. IV. 1. 2. &c. Marc. 1. 12. Luc. IV.

(*c*) Opus Imperf. Chryſoſt. Hieron. Hilar. Ambroſ. alii.

naturamque exploraret. Verum Chriſtus adverſarium ſuis ipſius ambagibus obvolutum ſemper remiſit, triplicemque illius tentationem triplici Scripturarum teſtimonio ſuperavit. Primam igitur illam tentationem eludens, illa Moyſis verba laudavit: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* (*a*); homines ſcilicet non pane tantum tolerare vitam, ſed iis quoque omnibus, quæ a Deo omnipotente verborum ſuorum vi in cibum præberentur. Tum ſupra Templi pinnaculum Chriſtus a tentatore conſtitutus eſt, provocatuſque, ut ſe præcipitem daret; futurum enim, dicebat, ut ruentem Angeli manibus exciperent, ne quid læderetur, quo ſua eſſet Scripturæ fides, quæ aſſerit, Juſtum a Deo protegi, & Angelorum manu in via ſuſtineri, ne pes illius veſtigio labatur (*b*). Cui Jeſus: cavendum quammaxime juxta ejuſdem Scripturæ teſtimonium (*c*), ne Dominum Deum tentes, & prodigia niſi extremis in rebus ab eo poſtules. Tandem in ſummum altiſſimi montis cacumen rapto Salvatori Regna mundi univerſa Dæmon oſtendit, hæc ſimul jactans: Quæ vides, mea ſunt omnia, eaque pro arbitrio largior. Tibi vero illa me daturum ſpondeo, modo pronus in terram obſequium mihi exhibeas. Sed hoſtem Chriſtus repreſſit, reſpondens, adorationem, ſupremumque cultum uni Deo, omnium Domino, ex Scriptura deberi (*d*). Victus itaque tentator pro-

(*a*) Deut. VIII. 3.
(*b*) Pſal. XC. 11.
(*c*) Deut. VI. 13. & X. 20.
(*d*) Deut. VI. 16.

proripuit ſe uſque ad tempus paſſionis; quando tentare Chriſtum illi rurſus per Deum licuit. Interim accurrente continuo Angeli allatis cibis eſurientem refecerunt. Vetus quidam Scriptor, ſub nomine S. Cypriani editus (*a*), ait, Jeſum, non reipſa & corpore, ſed animo tantum vectum eſſe in montem; & Templi faſtigium; quæ tamen ſententia aſſeclis caret. Plauſibilior illorum opinio, qui Chriſtum, non ſublimi in aere a Dæmone raptum, ſed per montis clivum, & Templi ſcalas, tentatorem ſponte ſequutum fuiſſe, ut cum eo luctaretur, defendunt (*b*). Hæc quidem Jeſu Chriſti dignitatem minus dedecere videntur; oppoſita tamen ſententia Evangeliſtarum narrationi magis inhæret, longeque plures præ altera defenſores habet (*c*). Sed qui Diabolus omnia Regna Mundi oſtendere potuit? Indicabatne digito varias Mundi partes, dicens: En Romanorum Imperium; hic Perſæ, illic Chaldæi, ibi Indi &c.? An Mundi mappam in aere depinxit? An quæ ſit ſingulorum Regnorum gloria, potentia, opulentia deſcripſerit?

IX. Joannes non diu fuit in Jerichuntis deſerto, poſt Jeſu Chriſti baptiſmum, ſed Bethaniam, ſive potius Bethabaram (*d*) urbem transjordanicam ſe contulit, ubi inſtruendis bapti- *Joannes iterum populo Meſſiam commendat.*

(*a*) Serm. de Jejunio & tentatione Chriſti.

(*b*) Opus Imperf. Euthym. Maldon. Spanh. Cleric.

(*c*) Patres fere omnes, Eraſm. Brug. Piſcat. Grot.

(*d*) Joan. 1. 28. Græca Exempl. Vide Calm.

baptizandiſque populis de more operam dabat. Cum autem longe lateque tanti viri fama propagaretur, Sacerdotum & Levitarum ab Optimatibus Judæorum Hieroſolymis miſſa legatio ab eo quæſivit, num Chriſtus eſſet, vel Elias, aut Propheta. Negavit ille; quod jure meritoque negatum eſt. Quamvis enim Joannes eſſet Propheta, & plus quam Propheta, non erat tamen magnus ille Propheta, excellentiæ cauſa ita dictus, quem promiſerat Moyſes (*a*), & de quo Judæi interrogaverant Joannem, licet falſo alium a Chriſto ipſum exiſtimarent. Cum ergo negaſſet Joannes, ſe eſſe Chriſtum, aut Eliam, vel Prophetam, inſtantibus Legatis; ecquem ergo ſe diceret: *Ego*, reſpondit, *vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini*. Monuerat Iſaias (*b*) Judæos, ut pararent Domino, populum ex captivitate Babylonica reducenti, iter facile & planum. Porro hic e captivitate reditus humani generis redemptionem ſignificabat. Paria igitur, ſpiritualiter tamen, ut venienti Meſſiæ præſtent Judæi, hortatur Joannes, monens, ut pœnitentia, atque animi demiſſione ſe deprimant, mores emendent; prava corrigant, aſpera complanent, omniumque virtutum exercitatione excipiendo Chriſto ſe componant. Verum qui ad illum miſſi fuerant, reſponſis Joannis minime contenti: Ut quid ergo, dixerunt, baptizas, cum neque Chriſtus ſis, neque Elias, neque Propheta? Quibus Joannes: Ego aqua tantum baptizo; ille vero, quem quæritis, inter vos me-

(*a*) Deut. XVIII. 15. (*b*) Iſa. XL. 3.

medius verſatur, nec tamen adhuc agnoſcitur.

X. Poſtridie ejus diei, qua Hieroſolymitani Legati redierant, reverſus Jeſus a deſerto, in quo jejunaverat, ad Joannem venit; qui illum conſpicatus, coram omnibus exclamavit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi* (*a*): qua quidem appellatione nedum ſpectavit Joannes Prophetarum oracula, quibus Chriſtus ſub Agni nomine deſignatur (*b*), verum etiam id quod in Templo agebatur, ubi mactato quotidie tum veſpere, tum mane Agno, totius gentis nomine, illius capiti manus imponebant ſelecti quidam viri (*c*), quo in victimam illam peccata totius populi inducerent expianda & cruore delenda. Adjecit autem Joannes, virum illum ipſiſſimum eſſe, cujus venturi teſtimonium a ſe prolatum fuerat; de facie quidem ſe illum non noviſſe, antequam docere, & baptiſmum miniſtrare incepiſſet; divinitus tamen admonitum fuiſſe, eum ſupra quem deſcendentem Spiritum ſanctum videret, ipſum eſſe qui baptizat in Spiritu ſancto: reque ipſa vidiſſe Spiritum ſanctum in columbæ forma dehiſcente Cælo deſcendiſſe, & ſuper illum per aliquod temporis ſpatium manſiſſe; ob idque ſe palam pronuntiaſſe, Jeſum eſſe Dei Filium. Altera die Joannes pertranſeuntem Jeſum videns, duobus diſcipulis ſuis illum indicans, iterum ait: *Ecce Agnus Dei.*

Manifeſta Joannis de Chriſto confeſſio.

F 4

(*a*) Jo. I. 29. (*b*) Iſa. LIII. 7. Jerem. XI. 19. Jo. I. 29. (*c*) Levitic. I. 4. III. 2. IV. 4. XVI. 21.

Dei. Quare duo illi Joannis diſcipuli, quorum alter, oriundus Bethſaida, Andreas vocabatur, alter vero fortaſſe erat Jacobus Zebedæi filius, aut ipſius frater Joannes Evangeliſta, Jeſum ſequuti ſunt. Cum autem poſt ſe reſpiciens Jeſus, illos vidiſſet, quid quærerent, interrogavit. Reſpondentibus illis: Domicilium, in quo degis: *Venite*, ait ille, *&* *videte*. Sequuti itaque illum ad hoſpitium, a decima diei hora uſque ad finem cum illo egerunt. Geſta ſunt hæc Bethabaræ; ibique fortaſſe Jeſus apud aliquem e civibus manſit (*a*).

Jeſus Simonis nomen mutat.

XI. Diſcedens veſpere a Jeſu Andreas invenit fratrem ſuum Simonem, ſtatimque nuntiavit, *Invenimus Meſſiam*; utque ſecum ad ipſum veniret, perſuaſit. Jeſus autem, conſpecto Simone, antequam hic quidquam loqueretur, ſuo illum nomine appellans: *Tu es*, inquit, *Simon filius Jona*; deinceps vero *Cephas* vocaberis, ſcilicet Rupes, vel Petra, ex quo Petrus. Porro hæc nominis mutatio non tantum innuit, Petrum fide firmiſſimum, profitendoque Jeſu Chriſti nomine conſtantiſſimum & invictum fore, ſed etiam ipſius Chriſti auctoritatem ſignificat, qua intelligimus, Petrum ab ipſo inter ſervos & Diſcipulos cooptari: herus enim ſervum emens, nomen illi imponebat pro arbitrio.

Nathanaële Meſſiam confitetur.

XII. Poſtera die Jeſus, Diſcipulis facile comitatus, redire volens in Galilæam, unde venerat baptiſmum a Joanne ſuſcepturus, Philip-

(*a*) Jo. 1. 35. &c.

lippum, Bethſaidæ, non ſecus ac Petrus, & Andreas, popularem offendit, quem, ut ſibi comes accederet, invitavit. Paruit ille, cumque obvium habuiſſet Nathanaelem, Meſſiam a Moyſe & Prophetis prædictum ſe inveniſſe, eumque eſſe Jeſum, Joſephi filium, ex Urbe Nazareth, nuntiavit. Cui alter: An boni aliquid a Nazareth ſperari poteſt? Ad quæ Philippus: *Veni, & vide*. Ubi autem Nathanaelem ad ſe venientem Jeſus vidit, commendans ſinceritatem, & ſimplicitatem dictorum illius; quæ licet præſens non audiiſſet, infinita tamen ſapientia ſua optime aſſecutus fuerat: *Ecce*, ait, *verus Iſraelita, in quo dolus non eſt*. Miratus Nathanael, quod nunquam allocutus ita probe ſe ſe agnoverit, rogat: *Unde me noſti?* Et Jeſus: Te vidi, cum eſſes ub ficu, antequam a Philippo vocareris. Merito creditur Nathanael piæ alicui rei operam dediſſe ſub ficu, cum ſe ſolum & ſine teſte videret; orabatque facile Deum, ut ſibi Meſſiam oſtenderet. Divina Chriſti ſcientia raptus Nathanael: *Rabbi*, ait, *tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael* (*a*). Tum Jeſus: Si miraris, quod ea tibi patefaciam, quæ omnes penitus latere credidiſti, multo majora deinceps, modo me ſequare, conſpicies, patentes ſcilicet Cælos, deſcendenteſque, & aſcendentes Angelos, ut Filio hominis obſequantur. Hæc impleta ſunt in horti angore, Reſurrectione, & Aſcenſione, in quibus Angeli ſpectandos ſeſe exhibuere, ut illius dignitatem manifeſtarent. Sunt qui hæc de

(*a*) Joan. 1. 49.

de altero Chriſti adventu interpretentur (*a*). Porro *Filium hominis* ſe vocavit Chriſtus in humilitatis, atque aſſumptæ humanæ naturæ argumentum; ſimulque ut in ſe expletum exhiberet Danielis oraculum, quo Meſſias Filius hominis nuncupatur (*b*). An Nathanael idem fuerit ac S. Bartholomæus, quæritur inter Eruditos; nec ſententia affirmans ſua probabilitate caret: nam Evangeliſtæ, qui de S. Bartholomæo differunt, nihil referunt de Nathanaele; & S. Joannes, qui loquitur de Nathanaele, Bartholomæum ſilet.

Nuptiæ in Cana celebrantur. Primum a Prædicatione Chriſti Paſcha. Templum tribus diebus excitandum. Nicodemus Chriſtum convenit. S. Joannes Baptiſta in carcerem traditur. Chriſtus Samaritanam inſtruit. Jeſus Capharnaum ſe recipit, ubi Petrum, Andream, Jacobum & Joannem Evangeliſtam vocat, pluraque miracula operatur.

CAP. VII.

ANNO MUNDI 4030. Chriſti 30. Æræ Vulgaris 26. *Nuptiæ in Cana Galilææ.*

I. POſt tres a relicta Bethabara dies, Canam Galilææ Salvator venit. Bethabara ponitur media ferme via inter Mare Mortuum, & Mare Tiberiadis; Cana vero inter Thaborem montem, & urbem Diocæſaream. Porro Chriſtus nuptiis in Cana celebratis interfuit una cum Matre & Diſcipulis invitatus (*a*).

(*a*) Mald. Toynard. (*b*) Dan. VII. 17.

(*a*). Fortaſſe quiſpiam ex Jeſu neceſſariis uxorem ducebat. Putarunt aliqui Sponſum fuiſſe S. Joannem Evangeliſtam, qui viſo miraculo a Chriſto in illis nuptiis patrato, uxorem ſtatim reliquerit, & Chriſtum ſequutus fuerit. Alii ſponſum faciunt S. Simonem Apoſtolum, quod ex ea urbe originem duxiſſe cenſeant; alii Nathanaelem. Res eſt omnino incerta. Deficiente autem convivis vino, Mater Jeſu ea de re Filium monuit; a quo reſponſum accepit: *Quid mihi & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea*. Quidam mitius ita Chriſti verba interpretantur: An noſtri negotii eſt, ſi deficiat vinum? Providebo tamen, cum patrandi miraculi tempus adfuerit. Sed alii frequentius hunc ſenſum exprimunt: Quid mihi commune tecum eſt? tuum non eſt tempus præſcribere, quo patranda mihi ſunt prodigia. S. Joannes Chryſoſtomus (*b*), ejuſque ſectatores Theophylactus & Euthymius, autumarunt, inanis gloriolæ aliquid Mariam admiſiſſe, Matrem ſe Filii prodigiis coruſcantis prodere affectantem; a Filio proinde duriuſculis verbis caſtigatam. Verum vulgo Patres & Interpretes æquiora & communi Eccleſiæ perſuaſioni magis conſentanea ſentientes, poſtulationem Virginis ex caritate & miſericordia profluxiſſe malunt; Jeſum autem talia reſpondiſſe, quod non ut homo, ſed ut Deus loqueretur; qua ſane ratione nihil Matri debebat: ſcire propterea ſe quando oſtendendæ omnipotentiæ ſuæ tempus adeſſet, nec ab illa tem-

(*a*) Joan. 11. 1. 2. &c. (*b*) In Joannem hom.20.

tempus illud præſcribi oportere. Sunt qui cenſeant, Jeſum cum convivis loquentem, docentemque verba vitæ, a Matre interpellatum, illam redarguiſſe, quaſi pium opus, multo præſtantius, quam ſponſorum levamen ab ea poſtulatum, impediret; dixiſſe autem Jeſum horam ſuam nondum adveniſſe, quod expectaret ut vinum penitus deficeret, editurus tunc miraculum, cum nemo poſſet criminari, auctum ſolummodo fuiſſe vinum, aut aquam vino admixtam (*a*). Utraque interpretatio probabilis; ſed quæ priori loco adducitur, melior, communiorque; quæ vero poſteriori, magis cum ſequentibus annectitur: Maria enim verbis Chriſti minime remorata, intelligenſque indicio aliquo, velle Jeſum poſtulatis obſequi, miniſtros monuit ut quicquid Filius imperaret, actutum exequerentur. Aderant autem ſex hydriæ lapideæ, in uſum conſuetarum apud Judæos purificationum reſervatæ, quarum ſingulæ binas, vel ternas metretas capiebant, genus ſcilicet cavæ menſuræ, cui quidam 80. liquoris libras, alii 90. alii 100. alii 120. tribuunt. Hæc vaſa ex lapide, qui cavatur facile, tornaturque, confecta erant. Jeſus aqua oppleri, atque inde hauſtum potum ad Architriclinum, convivii ſcilicet Rectorem, afferri juſſit. Deguſtatum poculum vinum meraciſſimum exhibuit. Architriclinus, qui totius rei inſcius erat, ſponſum ſeorſum traxit, expoſuitque, præter morem illum egiſſe, ſervando eximium adeo vinum in finem uſque

(*a*) Vide Calmet. in Joan. 11. 4.

uſque convivii, cum ceteri ſoleant vinum præſtantiſſimum initio apponere, deinde vero minus nobile, quando ſcilicet convivæ, vino calefacti, ferre de eo judicium nequeant. Teſtatur Joannes Evangeliſta, prodigium hoc primum eſſe ex iis, quæ Jeſus, patefaciendæ gloriæ ſuæ, confirmandique Diſcipulos cauſa patravit (*a*). Hinc quibuſdam placet, alia edidiſſe antea Jeſum miracula, Mariæ dumtaxat, & Joſepho explorata, ex quibus anſam arripuerit Mater novum poſtulandi ab eo prodigium. Præſto erat Priſcis Liber de Infantia Jeſu Chriſti, miraculis ſcatens; at jamdiu inter apocryphos rejectus eſt (*b*).

II. Ajunt plerique Patres, nuptiis interfuiſſe Jeſum, ut vel ipſa ſui præſentia conjugii ſanctitatem probaret. Cenſent alii, humillimæ animi demiſſionis cauſa adeſſe illum voluiſſe hominum, quantum ex vini defectu intelligimus, pauperrimonum cœtui, quemadmodum alibi flagitioſos inter & publicanos verſatus eſt, ut illos ad Deum traheret. Probabile eſt, cum ingens ibi eſſet neceſſariorum multitudo, & quicquid Diſcipulorum erat, primum iis ſpectantibus edere voluiſſe prodigiorum, ut eorum a quibus pro Meſſia agnoſcebatur, fidem confirmaret; iis vero, qui nondum crederent, ſe ſe noſcendum præberet. Profecto miraculum illud nulla majori certitudine comprobari poterat. Prodigium in ſex ſatis amplis urnis exhibetur. Modicum vinum prome- *Miraculi evidentia.*

(*a*) Jo. II. II.
(*b*) Gotti de Vera Relig. t. 4. p. I. c. 15.

mere noluit Chriſtus, ne erraſſe viderentur miniſtri, & conditam antea lagenam aliquam protuliſſe. Neque etiam in vaſis vino continendo deſtinatis vinum producere voluit, ne quis ſuſpicaretur, vini fæces, odorem, vim, quæ in vaſis ſupererant, infuſæ aquæ odorem coloremque vini dediſſe. Poterat certe vinum inanibus in vaſis creare; verum ea aqua impleri maluit, exploratumque omnibus fieri, nullum in iis vinum eſſe, ne quis criminaretur, aut ſervos accuſaret, quod clam cum Jeſu conſpirantes, vino hydrias compleviſſent. Hujus etiam rei cauſa hydrias ipſe tangere noluit, ſed ab aliis impleri maluit, quibus teſtibus prodigium comprobaretur. Converſa illico eſt aqua, eodemque tempore, quo hydriæ impletæ fuerunt; ſtatimque Jeſus, ut ex illis haurirent vinum, miniſtris præcepit, quare nullus locus, nullumque tempus ſtruendæ fraudi fuit. Ad Architriclinum tandem Jeſus vinum ſubito mittit, ut guſtet, feratque de eo judicium, qui ſobrius, erat, reique cibariæ peritiſſimus, ac inveſtigandæ veritatis magis ſollicitus, cum omnino ignoraret ille & quid Jeſus imperaſſet, & quid ſervi geſſiſſent. Hanc autem aquæ in vinum converſionem in exemplum paſſim afferunt Patres, ut divinam alteram in Euchariſtia panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti confirment.

Primum Chriſti Paſcha. Templum a Chriſto tribus diebus excitandum.

III. Poſt illas nuptias Jeſus una cum Matre & Diſcipulis ſuis Capharnaum, urbem in orientali maris Tiberiadis ora, contendit. Ibi B. Virginem ſubſtitiſſe propius vero eſt. S. Epi-

Epiphanius, illam Filio comitem toto prædicationis tempore adhæſiſſe, narrat (*a*). Verum nihil de illa in Evangelio, cum de ſanctis Feminis, Chriſtum ſecutis, ut illi neceſſaria miniſtrarent. Cum paucis diebus Chriſtus Capharnaum commoratus fuiſſet, occaſione Feſti paſchalis, poſt Baptiſmum ſuum primi, Hieruſalem venit. In Templum ingreſſus, Nummularios, ſive Trapezitas, una cum iis, qui boves, oves, columbaſque in ſacrificiorum uſum vendebant, in Atriis exterioribus offendit; quare obvios ſtatim funes capiens, flagellum ex illis confecit, eoque armatus æs effudit, menſas ſubvertit, animalia fugavit, omneſque illos negotiatores e loco ſancto expulit. His autem, qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ita hinc; & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Tunc recordati ſunt Diſcipuli Scripturæ, quæ habet: *Zelus domus tuæ comedit me* (*b*). Rogatus vero a Judæis, ecquod prodigium patraret, ut docerentur, hæc illum non impari poteſtate fultum audere: *Solvite*, ait, *Templum hoc*, *& in tribus diebus excitabo illud*. Spatium quadraginta & ſex annorum, exceperunt illi, moliendo operi inſumptum eſt: tu vero tribus diebus illud reædificaturum jactas? Tantumdem quidem temporis elapſum fuerat, ex quo novæ Templi conſtructioni Herodes manus admoverat. Templum Salomonicum ſeptem dumtaxat annorum ſpatio conſtructum eſt. Zorobabe-

(*a*) Epiphan. hær. 78. c. 9.

(*b*) Pſal. LXVIII. 10.

babelicum annos viginti abſumpſit. Non ergo de illis locuti ſunt Judæi. In Herodiano novem quidem circiter anni impenſi ſunt; at novis ſubinde operibus longiori temporis ſpatio auctum ornatumque eſt (*a*). Sed his omiſſis, Chriſtus de morte & reſurrectione Corporis ſui, in quo ceu in Templo Divinitas habitabat, locutus fuerat, prædicens futurum ut a Judæis interfectus, poſt tres dies a mortuis reſurgeret: at verbis ita obſcuris, ut vel ipſi Apoſtoli illorum ſenſum nonniſi poſt factum, ſcilicet poſt ipſam Reſurrectionem, aſſecuti ſint (*b*). Nihil luculentius merebantur Judæi; coram quibus tamen deinde tam multa & dixit, & fecit, ut omnem excuſationis locum illis penitus ademerit (*c*). Illius Paſchatis occaſione pluribus miraculis claruit Chriſtus, nec pauci in illum crediderunt. At illorum inconſtantiæ ipſe non ſatis fidebat; quippe qui animum menteſque hominum pervideret.

Nicodemus ad Chriſtum venit.

IV. Inter eos qui Chriſto adhæſerunt, erat ex Optimatibus Judæorum quidam, Nicodemus nomine, ſecta Phariſæus. Hic ad Jeſum noctu venit, forte ob metum Judæorum, quorum odia jam ſervebant in Chriſtum; vel ne Senatoris, Legumque Doctoris, quem ille agebat, dignitati noceret, ſi ad hominem privatum humanarumque literarum, & artium imperitum, qualis Jeſus videbatur, accedere viſus

(*a*) Vide Uſſer. ad an. M. 3987. Calm. in Jo. II. 20. & Berti de Theolog. diſcip. l. 25. c. 7. (*b*) Joan. II. 22. (*c*) Joan. XV. 24.

Digitized by Google

ſus fuiſſet (*a*). Conveniens itaque Chriſtum, ut illius doctrina profundius imbueretur, partemque in illius Regno, quod proximum credebatur, obtineret: Magiſter, ait, te a Deo miſſum docendæ ſalutis cauſa, ne ambigimus quidem, tot tantaque prodigia, quæ facis, videntes. Cui Jeſus, nullam eſſe cuiquam in Regno Dei partem, niſi is renatus fuerit. Cum Nicodemus hæc minime intelligeret, reſponderetque, impoſſibile omnino videri ut homo ſenex iterum in ventrem matris introiret, in lucem iterum proditurus, rem explanavit Jeſus, dixitque, in eo poſitam eſſe ut quis Baptiſmo aquæ & Spiritus ſancti initietur. Aquæ baptiſmus nullo negotio intelligebatur: at major erat in baptiſmo Spiritus difficultas. Hunc porro Chriſtus ſtudioſius explicaturus: Quemadmodum, inquit, carnalis eſt naſcendi modus, ita & ſpiritualis. Caro carnem, ſpiritus ſpiritum parit. Ventus ubi vult, ſpirat, modo hic, modo illic; tuque vim illius ſentis, ſtrepitumque audis, quin illius cauſas, ſeu vias noveris. Ita Spiritus ſanctus animum hominis agit, movetque uti, & quando vult, modo quidem prorſus impercepto, ſed validiſſimo. Qui reformatis moribus ad ſanctiorem vitæ rationem renaſcuntur, ii Spiritus ſancti virtutem ſentiunt, quin illam intueantur. His a Jeſu expoſitis, Nicodemus adhuc hærebat, ſciſcitabaturque, qua ratione hæc fieri poſſent? Cui Jeſus: *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Profecto dedecebat Le-

(*a*) Joan. III. I.

giſperitum ignorare, hominem baptiſmo renaſci, Sanctumque ſpiritum, ubi in hominis animum illabatur, illum ita immutare, ut hominem plane alium efficiat; maxime cum aſſerta eſſet apud Hebræos doctrina, Proſelytos e baptiſmatis lavacro emergentes, novos homines fieri, novumque cælitus immiſſum recipere ſpiritum. Docent Rabbini, novam quoque animam eo ritu acquiri, deſinere illos neceſſarios, aut ſervos eſſe iis, quibus antea fuerant, conditionemque una cum Religione mutare. Hactenus, adjecit Jeſus Nicodemo, nonniſi vulgaria, & in medio poſita docenda ſuſcepi; dicenti tamen non creditis, ſed dictorum argumenta rationeſque requiritis. An fidem habituri eſtis, ubi ſublimia & cæleſtia expoſuero? Quæ ſane perſpectiſſima habeo, cum in Cælo fuerim, & quidem ſolus, ſoluſque exinde deſcenderim. Quin etiam Filius hominis ſemper in Cælo eſt, ubi veritates omnes & myſteria pervidentur. Poſtquam autem de filiorum Dei regeneratione, & de ſua auctoritate & ſapientia diſputaſſet, Crucis myſterium explicaturus, dixit: Quemadmodum Moyſes in deſerto æneum Serpentem haſtæ præfixum omnibus expoſuit, ut læſi anguium ignitorum morſu, illum intuentes, curarentur; ita in ſublime erigi oportet Filium hominis, ut qui ipſum per fidem intuiti fuerint, minime pereant, ſed vitam æternam conſequantur. Eo enim uſque Deus homines dilexit, ut pro illis ſalvandis Filium ſuum, quo nihil carius

pre-

pretioſiuſque, in Mundum miſerit. Qui tamen Salvator venit, Judicem etiam aget, damnabitque incredulos omnes, qui idcirco pravarum ſuarum opinionum tenebras veritatis luci per Deï Filium exhibitæ præferunt, quod metuant ne illius fulgore ipſorum deformitas, & turpitudo detegatur.

Diſcipuli Chriſti baptizant.

V. Poſt alloquium cum Nicodemo, Jeſus Hieroſolymis egreſſus, non Galilæam, unde venerat, petiit, ſed in Judæa commorans, profectus eſt ad Jordanem, fortaſſe circa Jerichuntem, ubi Joannes Baptiſta munus ſuum ab initio exercuerat; ibique prædicationi intentus, Diſcipulorum ſuorum opera populum baptizabat (*a*). Docent nonnulli Patres, Apoſtolos ipſos a Chriſto tinctos fuiſse baptiſmo, antequam ipſi ceteros abluerent (*b*). Baptizatam pariter Mariam Virginem a Filio, vult Euthymius (*c*). Communis eſt opinio, baptiſmum, quo Jeſus populum Apoſtolorum manu initiabat, verum fuiſse Baptiſmi Sacramentum, quo Chriſtiani & filii Dei efficimur, criminumque veniam obtinemus; quamvis ex veteribus quidam aliter docuerint, Baptiſmum ſcilicet Chriſti virtute dimittendi peccata nonniſi poſt ipſius Reſurrectionem & Spiritus ſancti lapſum, inſtructum fuiſse (*d*).

 VI.

(*a*) Joan. III. 22. & IV. 2.

(*b*) Aug. ep. olim 108. nunc 265. Ambroſ. in Luc. XVIII. Hilar. in Matth. XIX.

(*c*) Euthym. in c. 3. Joan.

(*d*) Ammon. Leo Magn. Tertull. Chryſoſt. Ruper.

Diſceptatio inter Diſcipulos Jeſu Chriſti, & Joannis Baptiſtæ de Baptiſmo.

VI. Joannes Baptiſta per id temporis, relicta Bethabara, venerat in Ennon juxta Salim, aquarum affluentia invitatus, ubi Judæos & ipſe tingebat. Salim vel Salem S. Hieronymo eſt Urbs, in qua Melchiſedech regnaverat; cujus ædium rudera ipſius ætate adhuc monſtrabantur (*a*). Aliis tamen, præeunte Joſepho, urbs Melchiſedechi regia eſt Jeruſalem. Porro Ennon locus fuiſſe videtur in Galilæa, & Herodis Antipæ Regno, cum ibi captus poſtea fuerit Joannes, & in carcerem truſus; id quod Rex ille in Judæa, a Pilato Romanorum nomine adminiſtrata, non tentaſſet. Facta eſt autem quæſtio inter diſcipulos Joannis Baptiſtæ & Judæos quoſdam de Baptiſmo (*b*). Diſceptationis argumentum ſilet Scriptura. Fortaſſe tamen res tota in eo verſabatur, uter Baptiſmus efficacior. Judæi quidam, Jeſu Chriſti baptiſmo tincti, cum ex Apoſtolis, ipſoque Chriſto didiciſſent, quid diſcriminis eſſet inter Jeſu Chriſti & Joannis baptiſmum, poſteriorem hunc minimi ducebant, quippe quo homines nonniſi ad peccatorum veniam compararentur. Diſcipuli Joannis, pro Magiſtro certantes, commendare virtutem Joannis, & Jeſu Chriſti baptiſmum verbis deprimere. Sive igitur hic fuerit quæſtionis cardo, ſive quid ſimile, Diſcipuli Joannis, ad ipſum rem detulerunt, ſtimuliſque invidiæ agitati: Magiſter, dixerunt, qui erat tecum trans Jordanem, cuique tam honorifi-

cum

(*a*) Ep. 126. ad Evagrium.

(*b*) Joan. III. 25.

cum teſtimonium perhibuiſti, Filium Dei eſſe teſtatus, hic in Judæa baptizat, eo populorum concurſu, ut deſertus prope ſit baptiſmus tuus, & nemo jam ad nos veniat. At Joannes cauſam Jeſu Chriſto adjudicans, Diſcipulos ſuos leniter ad illum duxit, ipſum denuo commendans. Ne ægre feratis, inquit, gloriam, quæ cælitus data eſt Chriſto. Illum, ſcitis, vel a me ipſo mihi prælatum fuiſſe, gloriamque Meſſiæ non mihi, ſed illi, me teſte, deberi. Veni ego, ut Præcurſoris illius munere fungerer, viaſque ſternerem. Jeſus eſt ſponſus; ego ſponſi amicus, & paranymphus, qui quamvis non ſine gaudio ſponſi mandata exequatur, nuptiarumque hilaritatem promoveat, illi tamen nuptiæ non celebrantur. Nobilis claruſque fui in Iſraele: at Jeſu prodeunte, recedendum mihi, ut locum illi faciam. Jeſus Chriſtus, e Cælo originem ducens, hominibus univerſis longe major eſt; ego vero homo non ſecus ac ceteri, originem ex terra trahens, multum illi concedo. Quæ vidit in Cælo Jeſus, novitque, hæc hominibus manifeſtat; rari tamen ſunt qui fidem illi habeant. Qui vero illius dogmata ſuſcipiunt, Deum, a quo ille miſſus eſt, locupletatuſque ceu Filius tota Spiritus plenitudine, omniumque bonorum redundantia, veracem eſſe, teſtatur. Filio Dei credendum eſt, a quo vitam æternam expectamus. Væ illi qui in eum non crediderit! Damnatio illum æternaque manent ſupplicia. Anno Mundi 4031.

VII. Secundum hæc, Joannes Baptiſta car-

Christi 31. Æræ Vulgaris 27. ceri mancipatus eſt. Rem ita deſcribimus ex S. Luca, & Joſepho (*a*). Proficiſcens Romam Herodes Antipas, ad Herodem Philippum fratrem ſuum divertit; ibique viſam Herodiadem uxorem illius ita deperiit, ut denique amorem mulieri manifeſtaverit, nuptias ſe optare, teſtatus. Aſſenſa eſt Herodias, ea conditione, ut is Aretæ Regis filiam, quam antea duxerat, a ſe dimitteret. Hæc ſubodorata Antipæ uxor, a marito diſcedens, apud patrem fuga ſe ſe recepit. Antipas Roma reverſus, promiſſis ſtetit. Porro Herodias nedum Philippi, fratris Antipæ uxor erat, ſed fratris etiam filia, ſcilicet Ariſtobuli, qui communis erat & Philippo, & Antipæ frater. Vetita autem erant Lege connubia nedum cum ſorore, & uxore fratris, verum etiam cum fratris filia (*b*). Inceſtæ igitur hæ nuptiæ adjunctum habebant ſollicitationis flagitium, qua ſcilicet Antipas Herodiadi ſuaſerat ut priorem virum relinqueret. Adulterio, & alio inceſtus genere laborabant, cum adhuc ſuperſtes eſſet Philippus, maritus & frater patruuſque, nec illam repudiaſſet. Exarſit in Antipam Joannes, damnataſque nuptias & ſcandalum, quod inde toti Orbi oriebatur, liberioribus verbis inſectatus eſt; quamobrem juſſu Antipæ captus eſt, & in arce Machæruntis carcere detentus. Illum tamen Rex & magni faciebat, & verebatur; audiebat libenter, multaque faciebat ex monentis conſilio.

Jo. Baptiſta carceri mancipatur.

Ve-

(*a*) Joſeph. l. 18. c. 7. XIV. 3. Marc. VI. 17. & 8. Luc. III. 19. Matth. (*b*) Levit. XVIII. 14.

Verum Herodiadem numquam dimiſit; quæ verita, ne tandem aliquando Antipas Joannis conſiliis monitiſque vinceretur, omnem illius perdendi rationem inivit. Quare Antipas impiis uxoris ſuaſionibus fractus, illum e medio tollere decrevit; & ne id faceret, ſolo populi metu, Joannem ſummi Prophetæ loco ſuſpicientis, per aliquod tempus coercitus eſt. Hæc S. Lucas. Aliam detinendi Joannis necique tradendi cauſam narrat Joſephus. Antipas, ait ille, Joannem Baptiſtam publicis vinculis detinuit, mulctavitque tandem capite, quod ingentes populi conventus ad illum agerentur, metueretque Rex, ne Joannes acquiſita in populum auctoritate ad res novas moliendas abuteretur. Quamobrem prævertere voluit ſeditionem, quam gliſcentem coercere. At Joſephus veram hujus rei cauſam aut ignoravit, aut dolo malo corrupit, aut id, quod Antipas minuendæ invidiæ cauſa prætexuit, vulgavitque, verum imprudens putavit.

Chriſtus in Galilæam ſecedit.

VIII. Captum Joannem intelligens Jeſus, timuit ne Phariſæi prædicatione ſua irritati, Pilato perſuaderent, ut & ipſum vinciri juberet, eo prætextu, quod Diſcipulos quamplures compararet, ingenſque populi multitudo baptiſmo tingenda ad illum conflueret. Hinc relicta Judæa, Pilati præfectura, in Galilæam ſecedere ſtatuit (*a*). Porro Jeſu Chriſto, qui Joannis diſcipulus minime cenſebatur, neque unquam de inceſtu & adulterio Herodis Antipæ locutus fuerat, non eædem erant timendi

(*a*) Matth. IV. 12. Joan. IV. 1.

Antipam cauſæ, quamvis Galilæa, in quam contendebat, impio illi Regi pareret. Fortaſſe tamen tractus ille Galilææ, in quem Chriſtus ſe ſe recepit, Philippo, Antipæ ſtatri, erat ſubjectus.

Colloquium Jeſu cum muliere Samaritana.

IX. Eunti in Galilæam tranſeundum fuerat per Samariam; cumque ad urbem Sichar, vel Sichem, quæ deinde Neapolis dicta eſt, perveniſſet Jeſus, itineris labore laſſatus, puteo Jacobi, in agro, quem Patriarcha ille filio ſuo Joſepho mox moriturus legaverat, aſſedit, miſſis interim in urbem diſcipulis, cibos coempturis; erat enim hora quaſi ſexta, circiter ſcilicet meridiem; quo tempore prandere ſolemus. Accidit autem ut femina quædam e propinqua civitate ad puteum aquatura veniret; quæ a Jeſu, ut potum ſibi præberet, requiſita, mirari ſe dixit, hominem Judæum aquam a femina Samaritana poſtulare, cum inter duos illos populos non conveniret. Sed quorſum hæc obtendit illa femina? Nonne Jeſu diſcipuli in urbem Sichem modo ierant, ut cibos a Samaritanis compararent? Reſpondent eruditi quamplures, inter utraſque gentes emendi & vendendi uſum interceſſiſſe, quod ille minus quam dona amicitiam, & religionis ſocietatem inducat. Feminam nonniſi de aqua haurienda cogitantem Jeſus ad aliam aquam revocat, ſalutis nempe doctrinam, gratiam juſtificationis, cognitionemque Meſſiæ: quare dixit illi: Si noſſes quam felix modo ſis, quemve præſentem habeas, haud expectares ut ego aquam a te rogarem; ſed tu illam a me peti-

petiiſſes aquam, qua ad vitam æternam pervenitur. Chriſti mentem minime aſſecuta mulier, rogat, qui fieri poſſit, ut aquam ipſe hauriat, cum neque vas habeat, neque præſto ſit ſcala, cujus ope in puteum deſcendat? Jacobus, adjecit, ejuſque filii, & greges ex hac aqua biberunt; totaque urbs noſtra hinc aquam ſumit: an tu vel illis melior, vel nobis, ut meliorem uberioremque ſcaturiginem invenias, aut ſine inſtrumento aliquo ex hoc puteo aquam haurias? Tunc Jeſus: Aqua hæc ad tempus tantummodo ſitim extinguit: at aqua, quam ego do, ſitis in omne tempus levatur; eaque vel tota æternitate quis potare poteſt. Progidioſam hanc aquam feminæ a Chriſto, ne amplius ſitiret, neque ad puteum aquatura ventitare cogeretur, poſtulanti: I, reſpondit ille, aſsumptoque viro tuo huc redi. Cui mulier: Marito careo. Recte, excepit Jeſus; nam quinque viros habuiſti; nunc autem conſueſcis cum viro, qui tibi maritus non eſt. Patres vulgo ajunt, priores quinque hujus mulieris viros, legitimos fuiſſe illius maritos, quos illa repudiaverit, vel obitu amiſerit, aut ab illis repudiata fuerit; Chryſoſtomus tamen & Maldonatus, illegitimos fuiſse, non ſecus ac ſextum, cui adhærebat, arbitrantur.

Controverſiam inter Judæos, & Samaritanos. Cultus in ſpiritu, & veritate quiſnam?

X. Utcumque res habuerit ſe ſe, mulier ſe deprehenſam ſentiens, verbaque cum Propheta miſcere perſuaſa, quæſtionem illam, quæ tanto ardore inter Samaritanos & Judæos agitabatur, præſtaret ne ſcilicet in monte Garizim, an in Templo Jeroſolymitano Deum colere,

lere, propoſuit, petiitque, ut ſibi ſolveretur. Ajebant Samaritani, Patriarchas in monte illo, ad cujus radices erat Sichem, Religionis ſuæ officia exercuiſſe, erectumque Altare, cui verba Legis eſſent inſcripta; id quod nuſpiam tradit Scriptura. Licet enim Pentateuchus Samaritanorum ſententias nonnullas ferat, ipſorum opinioni faventes, eæ tamen a Samaritanis additæ creduntur ex arbitrio, neque in Hebræorum Pentateucho prorſus occurrunt (*a*). Propoſitæ quæſtioni ita Chriſtus reſpondet, ut neque Judæis, neque Samaritanis litem adjudicet; veniſſe enim tempus, ait, quo purus Fidelium cultus in *ſpiritu* & *veritate* Patri, non in Garizim, neque Jeroſolymis, ſed ubique locorum exhiberetur. Porro Judæorum Religio carnalis erat, exterioribus ritibus, quibus corpora purgarentur, ut plurimum implexa. Samaritanorum vero Religio nedum eadem de cauſa erat carnalis, ſed etiam falſa, quod Hebræorum Numini æque ac Gentilium Idolis eſſet addicta. Negabant Judæi, coli Deum ſolemni ritu extra Jeruſalem unquam poſſe; negabant Samaritani, extra Garizim. Cultus, qui toto terrarum Orbe diffuſus ſit in ſpiritu & veritate, quem exigit Chriſtus, quemve ſpirituali & vera Corporis, & Sanguinis ſui oblatione maxime propagat, utroſque populos damnat. Ad Religionis tamen ſubſtantiam quod ſpectat, Judæis Chriſtus cauſſam addixiſſe videtur. *Vos*, inquit, *adoratis*, *quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus, quia ſa-*

(*a*) Vide hanc hiſtor. l. 4. c. 13. n. 4.

ſalus ex Judæis eſt (*a*). Samaritani veriſſime dicebantur colere quod ignorabant. Duo quippe ſibi fingebant, quæ cum Dei dignitate minime convenirent; Deum ſcilicet Iſraelis uni tantum regioni adhæreſcere: *Ignorant legitima Dei terræ:* & veri Dei cultum cum Numinum obſequio poſſe conjungi: *Timentes quidem Deum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſervientes* (*b*). Ad hæc, quamvis Samaritani Patrem adorarent, expectarentque Meſſiam, neutrum tamen ſatis noverant, quod e ſacris Libris Pentateuchum dumtaxat admitterent. Jungendi erant Libri ad Hiſtoriam & Prophetas pertinentes, ut de utroque plenius inſtruerentur; ex quorum lectione diſcerent etiam, electum a Deo montem Sion, non Garizim, in quo coleretur. Eo facile ſpectat inſcitia, quam in Samaritanis Chriſtus reprehendit. Ipſos autem a ſalute Chriſtus excluſiſſe videtur, illis verbis: *Salus ex Judæis:* quæ quidem verba licet commode de Meſſia e Judæis egreſſo, & de Evangelio a viris illius gentis in Orbe prædicando, jure meritoque intelligantur; videntur tamen etiam Samaritanorum ſchiſma, & ſuperſtitionem, pœnamque damnationis criminibus illis debitam indicare. Immerito autem plures ex Heterodoxis illa Chriſti verba, *in ſpiritu & veritate*, adducunt, ut Sacrificia, Templa, & cæremonias ſacras, omnemque Dei cultum exteriorem excludant, qui hominibus ex animo & corpore conſtantibus eſt neceſ-

(*a*) Jo. IV. 22. & 41. Vide hanc Hiſtor.
(*b*) 4. Reg. XVII. 26. I. 6. c. 14.

ceſſarius, & quo ipſemet Chriſtus, ejuſque Diſcipuli ſemper uſi ſunt. Sed de his ſatis. Auditis, quæ a Jeſu dicebantur, reſpondit Samaritana, ſcire ſe, Meſſiæ adventum imminere, qui dubia omnia ſubmoveret. Tunc Jeſus: *Ego ſum qui loquor tecum*. Numquam adeo perſpicue Meſſiam ſe manifeſtavit Chriſtus; idque ſinceritate & docilitate meruit mulier alienigena, quod Judæi ſuperbia praviſque moribus non ſunt aſſecuti.

Cibus & meſſis ſpiritualis. Samaritanorum converſio.

XI. Supervenientes autem Diſcipuli, illum feminam alloqui mirati ſunt; quos tamen ſummum, quo erga ipſum tenebantur, obſequium coercuit ne rogarent, quid cum illa colloqueretur. Cum vero ab illis Chriſtus, ut caperet cibos, urgeretur, reſpondit, latentes ſe epulas, quibus veſceretur, in promptu habere. Suſpicantibus illis, a quopiam ei cibos allatos, cum abeſſent, idque ad invicem conferentibus: Meus cibus, inquit, Patris voluntas eſt, opuſque, cui perficiendo ille me miſit. Spiritualis cibus ſpiritualem meſſem habet. Quatuor adhuc menſes triticea meſſis abeſt: ad aliam ego vos meſſem, hominum ſcilicet, maturam jam, falcique aptam, voco. Hanc quidem meſſem vos nec ſeminaſtis, nec coluiſtis, ſed Patriarchæ, & Prophetæ, aliique ſanctiſſimi veteris Teſtamenti viri; honor tamen gaudiumque meſſis æque vos manet ac illos; eidem enim Domino meſſis laborantes, eamdem mercedem expectant, ſive ſeminent, ſive metant. Sunt qui cenſeant, Jeſum, proſpectis Samaritanis, ex-

extra urbem ad ſe audiendum videndumque confluentibus, iſta dixiſſe: En meſſis, vos meſſores. Mulier ſane Samaritana in urbem regreſſa, totius rei hiſtoriam narravit, Prophetamque a ſe nactum dixit, omnia quæ ſecreto ipſa egerat, deſcribentem. Quo tamen populares ſuos lenius alliceret, traheretque, ut ſuis ipſi oculis rei veritatem diſcerent, hærens, & quaſi dubitans, quærebat: *Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Egreſſi proinde Sichimitæ, ut in urbem veniret, Jeſum invitarunt: quibus acquieſcens, biduo non ſine plurimorum fructu ibidem manſit: Quamvis enim multi jam credidiſſent, perſuaſi verbis feminæ, teſtantis, illum ſibi narraſſe quæ occultiſſima erant, plures tamen, qui vel nondum crediderant, vel adhuc dubitabant, Chriſti ſermone convicti, plenam fidem illi habentes, palam teſtabantur, ipſum non Samaritanorum modo & Judæorum, ſed totius *Mundi eſſe Salvatorem*. Feminam illam Græci *Photianam* vocant, ejuſque feſtum ad diem 20. Martii conſignantes, Carthaginis converſionem illi tribuunt, Romamque inde ſub Nerone perductam, pelle illi, ejuſque ſororibus & filiis detracta, martyrium conſummaſſe, narrant (*a*).

XII. Redux in Galilæam Jeſus, Nazaretham, ubi nutritus fuerat, contendit. Quamvis autem toto eo temporis ſpatio, quo antea in ea civitate moram traxerat, ſynagogam ſingulis Sabbatis de more frequentaſſe non dubitemus, ha- *Chriſtus de ſe Iſaiam interpretatur.*

(*a*) Bolland. ad diem eamd. diem in Marty. 20. Martii. Baron. ad rol.

hactenus tamen nullum ſapientiæ, & Spiritus, quo complebatur, ſpecimen, quantum videtur, exhibuerat. Nunc vero, cum eo ſe eadem die contuliſſet, ſive ſua ſponte, ſive ab aliis invitatus, traditum ſibi Iſaiæ volumen ſtans aperuit, eique actutum, nullo, uti quidem credimus, delectu, occurrerunt illa verba: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me; evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis* (*a*). Lectis hiſce verbis, complicatoque libro, qui e membranis pluribus ſimul ad latera conſutis, qualibus adhuc utuntur Rabbini in Synagogis, conſtabat, ſedit Salvator, ſeque ipſum eo Prophetæ oraculo indicatum aſſeruit. *Hodie*, ait, *impleta eſt hæc ſcriptura in oculis veſtris*. Nec immerito ſane; quamvis enim pars aliqua illius prophetiæ aptari poſſit ipſi Prophetæ; tota tamen uni Chriſto convenire intelligitur, quidquid in contrarium contendat Grotius. Iſaias igitur miſſus quidem fuit a Deo, ut captivis in Babylonia Judæis proximam libertatem nuntiaret, populumque extremas in anguſtias redactum moneret, futurum ut quamprimum hoſtium oppreſſione liberatus, quemdam felicitatis annum experiretur, quo Deus cum illo reconciliaretur, & pœnas ex inimicis ſumeret duriſſimas. Sed quid hæc ad Chriſtum, oraculumque de eo ab Iſaia prolatum? Chriſtus uberrima ſancti Spiritus unctione

(*a*) Luc. IV. 18. Iſa. LXI. 2.

ne perfuſus, cum divinus ille Spiritus columbæ ſpecie in eum poſt baptiſmum illapſus eſt, juſſu Patris pauperibus prædicare cœpit Evangelium, ſimulque contritis corde peccatorum indulgentiam largitus eſt, oppreſſos a Dæmonibus relevavit, cæcos viſu donavit, confractos, claudos, languidos, & cujuſcumque generis miſeros, remiſſis delictis, quorum gratia puniebantur, priſtinæ ſaluti reſtituit. Chriſti denique prædicatio abſolutiſſimum cujuſdam Jubilæi annum induxit, cum amiſſam primi parentis crimine immortalitatis, æternæque beatitudinis ſpem iterum hominibus attulerit. Qui quidem annus impiis retributionis, ſive exitii principium fuit. Venit enim Chriſtus *in ruinam & reſurrectionem multorum* (*a*). Ii profecto, qui Salvatoris doctrinam rejecere, & ipſum in crucem egerunt, patriæ Templique ruinis oppreſſi ſunt, a Romanis direpti, vaſtati, diſperſi. Veteres quidam ex laudatis Chriſti verbis, *Prædicare annum Domini acceptum*, colligebant, Chriſtum unico dumtaxat anno prædicaſſe (*b*). Sed annus hoc loci tempus ſignificat indefinitum; eoque nomine uſus eſt Propheta, ut ad annum Jubilæi, quo & ſervi manumittebantur, & latifundia ad priores dominos redibant, alluderet.

XIII. Porro quæ Chriſtus in Synagoga diſſeruit, communi omnium aſſenſu & admiratione primo excepta fuerunt; ſed revocata deinde

Chriſtus Nazaræorum odium ſubit.

(*a*) Luc. 11. 34.
(*b*) Clem. Alexand. Lact. Julius Afric. S. Gauden. Philaſt. Caſſiod. Gnoſtici. Vide Gotti de V.R. t. 4. p. 1. c. 19. §. 5.

inde in mentem natalium Chriſti obſcuritate, invicem ajebant: *Nonne hic eſt filius Joſeph?* Quaſi dicerent: Eſto inſolita ſuavitate, vi, & eloquentia Scripturas explicare videatur, infimæ tamen conditionis fines non excedit, cum ſit Joſephi filius. Alii interpretantur: Miram hominis inſaniam & ſuperbiam! Jeſus patrem habet fabrum; & Meſſiam nihilominus ſe prædicat (*a*). Hæc Nazareni, qui vulgari apud Judæos errore nihil niſi ſummum in Meſſia ſpectandum rebantur, regiam ſcilicet Majeſtatem, bellicum apparatum, divitias, gloriam, victoriam, felicitatem. His offenſus Chriſtus, miraculorum beneficio, quo ſibi demeruerat Capharnaitas, cives ſuos privavit (*b*); cum vero futurum videret ut ſibi dicerent: *Medice cura te ipſum*: Ede Nazarathæ, quæ tibi patria eſt, prodigia illa, quibus Capharnai incolas dignatus es; præoccupavit eos illo effato: *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*. Oſtenſurus autem, quod Dei beneficia gratuita omnino ſint, & ſine querela aliis poſſint concedi, aliis negari, veteris Teſtamenti protulit exempla. Plures, ait, erant viduæ in Iſraele, quando dira fames très annos cum dimidio ſævіit: Elias tamen unius tantum viduæ Sareptanæ farinam oleumque multiplicavit. Plures pariter erant in Iſraele leproſi Eliſæi ætate; unus tamen Naaman Syrus ab illo Propheta curatus eſt. His auditis, facile intellexere Nazarethæ cives, ſe a Jeſu Capharnaitis poſtponi, cum arbitrii voluntate, tum collata ipſorum

(*a*) Calm. (*b*) Matth. XIII. 58.

rum incredulitate (*a*) cum fide & docilitate exterorum, quos vidua Sareptana, & Naaman Syrus referebant; videbant etiam, quod ſe ipſe priſcis Prophetis Eliæ & Eliſæo parem faciebat: quare ſummopere indignati, in faſtigio montis, cui urbs imminebat, illum ſtatuentes, præcipitem agere volebant. At Jeſus, eo duci ſe paſſus, nolens tamen peſſimum conſilium ab iis expleri, per medios illos tranſiit, quin detineri poſſet; ſive ipſe inconſpicuum ſe illis effecerit, ſive illos cæcitate percuſſerit, ſive illorum voluntatem mutaverit. Ita vero dilapſus, ex urbe ſeceſſit, ſedemque Capharnai fere perpetuam conſtituit; unde decurrens per univerſam Galilæam ſummo populi aſſenſu auſcultabatur, ex ea potiſſimum cauſa, quod ipſimet Galilæi plura ab eo edi miracula vidiſſent, per Paſchatis feſtum, ad quod una cum illo convenerant (*b*).

XIV. Dum Jeſus eſſet in Cana, ubi miraculum aquæ in vinum converſæ ediderat, Præfectus quidam regius, Antipæ ſubditus, Capharnao, ubi domicilium habebat, ad illum ſe contulit pro filio ſuo, quem morbus ad extrema urgebat, rogaturus. Rogabat autem ut Capharnaum ad filium ſanandum ſecum veniret. Huic, ſociiſque illius exprobravit, ipſos non credere, niſi prodigiis convictos. Cum vero pater inſtaret, ut quantocyus, prævertendæ mortis cauſa, ad ægrotum pergeret, imperavit Jeſus ut ipſe ad filium rediret, incolumem reperturus. Verbis Domini fidem habuit Præ- *Filium Reguli ſanat.*

(*a*) Matth. XIII. 58, (*b*) Jo. IV. 45.

fectus; cui regredienti occurrerunt domeſtici, nuntiantes, præcedenti die, hora ſeptima, prima ſcilicet poſt meridiem, filium convaluiſſe; quo quidem tempore ille de filii incolumitate nuntium a Chriſto acceperat; quare fides illius confirmata eſt, & ad totam familiam propagata (*a*).

Petrus & Andreas ſecundo vocantur. Vocantur etiam Zebedæi filii.

XV. A Cana Capharnaum regreſsus Salvator, littuſque maris, ſive potius lacus Tiberiadis inambulans, Petrum & Andream fratres, piſcationi intentos, offendit. Uterque jam Chriſto antea adhæſerant, cum ad Joannem Baptiſtam prope Bethabaram venit; ſed uterque pariter ad artis ſuæ exercitium redierant, conjecto in carcerem Joanne. Illos igitur iterum nactus Jeſus, juſſit piſcationem penitus relinquere, evangelicæ ſolummodo prædicationi, ſive hominum piſcationi operam navaturos; qui relictis retibus, naviculis, ceteriſque omnibus, ſtatim paruerunt. Inde longius aliquanto digreſsus, duos fratres Jacobum & Joannem in navicula cum ipſorum patre Zebedæo, retia ſua reficientes, pariter invenit; illique pariter relictis omnibus una cum patre vocantem ſecuti ſunt (*b*). Cur vero patrem reliquerunt? An forte quod ille, uti Theophylactus cenſet, Chriſto credere recuſaverit?

Curatur Dæmoniacus, & Petri Socrus. Uxor & filia Petri.

XVI. Cum quadam Sabbati die Synagogam Capharnai ingreſsus eſset, vir quidam dæmoniacus, in clamores effuſus: *Sine*, dicebat,

(*a*) Jo. IV. 46. Marc. I. 16. &c.
(*b*) Matth. IV. 18. &c.

bat: *quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio te quis ſit, Sanctus Dei* (*a*). Dæmonem objurgans Jeſus, actutum quieſceret, & a viri corpore faceſſeret, imperavit. Contorquebatur miſer æger, ejulabatque; ſed brevi Dæmone abeunte, ſalva illi omnia facta ſunt, nullamque corporis læſionem a lapſu & convulſionibus retulit. Imperioſam Chriſti in Dæmones loquendi rationem admirati Capharnai incolæ, per univerſam Galilæam famam illius provexere. Ex Synagoga egreſſus, domum Simonis, alio nomine Petri, Jacobo & Joanne fratribus comitatus, intravit, nactuſque ſocrum illius febri laborantem, apprehenſa ægræ manu, priori ſanitati ita reſtituit, ut illa Chriſto ſtatim ceteriſque adminiſtrare potuerit. Petri uxorem martyrio obiiſse, veteres tradunt, eamque alii Mariam, alii Concordiam, alii Perpetuam vocant. Ferunt etiam, ipſam, cum ad ſupplicium duceretur, a Petro adhortatam fuiſse illis verbis: *Heus tu, memento Domini*. Sunt pariter, qui Petro tribuant filiam Petronillam, item Martyrem. Sed Petronilla Martyr Romæ obiit. Quis autem credat, Petrum eo filiam juvenculam ducere voluiſse? Deinde nomen Petronilla a Petronio potius, quam a Petro derivatum crederetur; nam Petrus Petrillam dediſset. Nonnulli igitur autumant, S. Petroniilam e nobiliſſima gente Petronia prodiiſse, quam Petrus baptizaverit, & ſpiritu Chriſto genuerit (*b*).

(*a*) Luc. IV. 31. Marc. I. 21. ar. 40. & Gotti de Petro
(*b*) Tillem. in Petrum c. 1. §. 1.

Cum Sol occidiſset, ceſsaſsetque Sabbati religio, ad Petri domum, ubi agebat Jeſus, totius urbis factus eſt concurſus, adductique omnes infirmi, quos ille ſoſpites ad propria remittens, dæmoniacis, ne ipſum manifeſtarent, ſilentium imponebat. Mane alterius diei in deſertum locum oraturus ſeceſſit, omnibus ignotus. Petrus vero, ceterique diſcipuli, illum abiiſse ſentientes, eo perſecuti ſunt, inventumque monuerunt, ab ingenti hominum turba ejus præſentiam repoſci. Pone autem ſecuta eſt multitudo, quæ illum tenuit, ac dimittere nolebat: cui Chriſtus reſpondit, opus eſse ut ceteras etiam urbes doceret, eaque de cauſa in Mundum veniſse. Una igitur cum diſcipulis ſuis civitates vicoſque Galilææ obiens, in Synagogis docebat, ægrotos ſanabat, Dæmones e corporibus expellebat; ex quibus factum eſt, ut ejus nominis fama per univerſam late Syriam diffunderetur, & undique ad ipſum languentes deducerentur (*a*).

L I-

(*b*) Matth. VIII. 10. Marc. I. 32. Luc. IV. 40.

LIBER DUODECIMUS.

Piſcatio prodigioſa. Leproſus & Paralyticus curantur. Matthæi vocatio. Quænam Chriſti forma? Imago & Literæ Chriſti ad Abagarum. Alterum poſt Chriſti baptiſmum Paſcha. Curatio Paralytici ad Piſcinam. Sabbati violati calumnia. Duodecim Apoſtolorum electio.

CAP. I.

I. PEragrata Galilæa rediit Jeſus ad lacum Geneſareth, ſive Tiberiadis, ibique geminas naves litori proximas offendit, quarum altera erat Petri, altera vero Joannis, & Jacobi filiorum Zebedæi. Cum autem a circumfluente multitudine pene opprimeretur Jeſus, aſcendit in navem Petri, indeque populum cœpit docere (*a*). Porro Petrus & ſocii nihil tota nocte ceperant, lotiſque retibus a piſcando ceſſare meditabantur. Verum Chriſtus reducere in altum naviculam, & retia laxare Petro præcepit; quod adeo feliciter ceſſit, ut præ piſcium captorum multitudine retia diſrumperentur. Accurrentes autem qui in altera navi erant, a Petro ejuſque ſociis invitati, ſociata opera ambas naves ita oppleverunt, ut parum defuerit, quin mergerentur. Territus prodigio Petrus procumbit ad genua Jeſu, aitque: *Recede a me, Domine: quia homo peccator ſum*. Eadem admiratione, qua Petrus,

Anno Mundi 4031. Chriſti 31. Æræ Vulgaris 27.

Prodigioſa piſcatio.

H 3 trus,

(*a*) Luc. v. 1.

truſ, ſocii omnes illius, ceterique miraculi teſtes, affecti ſunt. At Jeſus ad Petrum verſus: Noli, inquit, timere; deinceps enim hominum piſcator eris. Nec mora, ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus, Petrus, ſociique illius omnes ſecuti ſunt Dominum, piſcatoriam omnino deſerentes. Hanc tertiam Petri vocationem credimus (*a*), quamvis nonnulli ſecundam malint, & alii non diſtinguant ab ea quam ſupra deſcripſimus (*b*).

Leproſi curatio. II. Secundum hæc, leproſus quidam ad Jeſum dum in quamdam urbem ingrederetur, accedens: Domine, ait, ſi vis, potes me mundare. Cui ille: Volo: mundus eſto; tactumque manu ſtatim ſanavit. Imperavit tamen ut curationem omnibus celaret, oſtenderetque ſe Sacerdoti, atque ſacrificia & oblationes lege præſcriptas impleret (*c*). Quorſum autem Chriſtus edita a ſe miracula prohibet manifeſtari? Interpretes plerique cenſent, hoc ab eo ſervatum humilitatis cauſa & modeſtiæ. Aliis placet, ne invidiam nequitiamque Sacerdotum & Phariſæorum maturius quam par eſſet, excitaret, mortiſque decretum, & tempus paſſionis præverteret. Cautum autem lege ne leproſi in ceterorum commercium admitterentur, niſi prius Sacerdotes omnino eſſe purgatos, pronuntiaſſent (*d*). Leproſus igitur ad

(*a*) Joan. I. 42. II. 2. Matth. IV. 18. Luc. V. I.

(*b*) Lib. ſuper c. ult. n. 14.

(*c*) Luc. V. 12.

(*d*) Levit. XIII. 2. XIV. 50. Calm. in Matth. VIII. 4.

ad Hieroſolymæ portas accedebat, ibique a Sacerdote examinabatur. Si purus inveniretur, introducebatur in urbem, deinde in Templum, ubi is ſacrum faciebat, mactatis prima die geminis paſſeribus, octava vero totidem agnis (*a*). Hæc igitur Jeſus leproſo curato juſſit, addens, ut ea faceret *in teſtimonium illis*, nempe Sacerdotibus. Quæ quidem verba alii aliter interpretantur. Nonnulli igitur ita exponunt: Te exhibe Sacerdotibus, hoſtiamque adducito, ut vel hoc ipſo incolumitas prodigioſe a me reſtituta demonſtretur, ſi quando ipſi tantum miraculum negare voluerint. Alii hunc ſenſum malunt: Ut Sacerdotes hinc ſaltem cognoſcant, legem a me non deſtrui, ſed impleri. Quidam ſic: Ut Meſſiam veniſſe intelligant, cujus indicium eſt reddita leproſis ſanitas (*b*). Ceteri denique: Ut dum hæc præſtas in Templo coram Sacerdotibus, populus univerſus non ignoret, quid egerim, quiſque ſim. Porro leproſus curationem celare juſſus a Chriſto, minime obtemperavit, rumorque rei tantam populi multitudinem ad Jeſum acivit, ut urbes ingredi non poſſet, turbis undique obſeſſus (*c*).

III. Aliquandiu poſt, cum trans lacum Tiberiadis, populos in agro commorantes docuiſſet, conſcenſa navicula, Capharnaum rediit. Ad illum confluebant populo admixti *Curatio Paralytici.*

H 4 Pha-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. xi. 5. l. 4. c. 2. n. 10. & c. 4. n. 8.

(*b*) Iſa. lxi. 1. Matth.

(*c*) Matth. viii. 2. Marc. 1. 40.

Phariſæi, Legiſque doctores, qui ex Galilæa, Judæa, & Hieruſalem venerant, tanta frequentia, ut nec in domo, quam Chriſtus inhabitabat, nec in veſtibulo ſive atrio locum habere poſſent. Pluribus ſanitatem reſtituit, eodemque, quo ceteros, beneficio quemdam paralyticum donavit (*a*). Hunc, qui penitus membrorum uſum amiſerat, in lecto ad Jeſum quidam detulerunt; cumque ii, obſidente fores turba audientium, per oſtium introire non poſſent, ipſum in aream tecti ſublatum, amotis tegulis, funibus demiſerunt coram Chriſto, ad populum in medio aulæ, ſive in foribus, vel e feneſtra verba faciente. Tecta apud Palæſtinos in areæ formam complanata erant, domuſque in exteriori pariete inſtruebantur ſcala, qua aſcenſus dabatur in tectum, quin opus eſſet, intra domum ſubire. Addunt, in medio areæ ſpatio patuiſſe feneſtram, ſuis inſtructam valvis, quibus apertis, ſublatiſque, diei lux in ſubjectum conclave excipiebatur. Hanc itaque per feneſtram demiſſus eſt paralyticus. Fortaſſe opus fuit tegulas ſeu lateres aliquot removere, ut homo cum lectulo tranſmitteretur. Tanta illorum qui portabant paralyticum, fide devictus Chriſtus, ad ipſum paralyticum converſus: *Confide*, ait, *fili*, *remittuntur tibi peccata tua*. His verbis inſinuari videtur, paralyſim ex peccatis originem habuiſſe; quare Chriſtus morbum ablaturus, cauſam illius antea abſtulit. Porro quidam ex Hebræorum doctoribus, poteſtatem di-

(*a*) Matth. IX. 2. Marc. II. 3. Luc. X. 18.

dimittendi peccata, quæ unius Dei eſt, a Chriſto uſurpari, intelligentes, ſcandalo affecti, dixerunt intra ſe: *Hic blaſphemat*. Quam cogitationem ſecretumque judicium percipiens Jeſus, illos reprehendit, poteſtatemque dimittendi peccata ex poteſtate pellendi ægritudines probaturus, paralyticum ſtare, & lectum tollere juſſit; qui ſanitate ſtatim recepta, Domini juſſionibus paruit, domumque ſuam petiit. His viſis, turbæ Dei virtutem admiratæ ſunt, qui tam multa ſuæ inter homines potentiæ ſpecimina exhibuerit.

IV. Jeſus egreſsus domo, in qua paralyticum ſanaverat, in forum Capharnai veniens, Publicanum in teloneo invenit, Matthæum nomine, aliter Levin Alphæi filium (*a*). Is genere Judæus erat ac Religione: illum tamen genti odioſum ars publicam pecuniam, ſive vectigalia, aut tributum exigendi, Judæis omnibus penitus inviſa, reddebat. Cum illac Jeſus pertranſiret, virum ad ſui ſequelam invitavit; qui illico relictis omnibus, præceptorem ſequutus eſt. Julianus Auguſtus & Porphyrius levitatis Matthæum accuſavere, quod ignoto homini vix accitus adhæſerit. At SS. Hieronymus & Chryſoſtomus minime dubitant, quin Matthæus Chriſti prodigia & dogmata prius intellexerit (*b*). Potuit ſane concionantem ſæpe audire: patrataque ab eo ubique prodigia, præſertim Capharnai, adeo clara erant, ut ignorari omnino non poſsent. Valido ſimul ac ſuavi

Matthæi vocatio.

(*a*) Matth. IX. 10. Marc. II. 15. Luc. V. 29.

(*b*) Hieron. & Chryſoſt. in Matth. IX.

ſuavi gratiæ attactu captum ea occaſione Matthæum docet S. Auguſtinus (*a*). Plures tandem tradunt, quemdam Divinitatis fulgorem ſub humanæ Chriſti naturæ velamento nonnunquam intermicuiſse, quo animus ſolo intuitu perſtringeretur (*b*).

Utrum Chriſtus forma præſtiterit.

V. Multis ſane in utramque partem ſcriptis lucubrationibus diſputatum eſt de forma & venuſtate Jeſu Chriſti. Specioſiſſimum præ ceteris mortalibus illum dixerunt plures, alii ſecus. Qui pro eleganti illius ſpecie pugnant, fidem dicto ſuo adſtruunt ex illis Pſalmi verbis: *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis* (*c*). Ad hæc, eximia humorum temperatura excellebat Jeſus; in ejus conceptu, ortu, educatione nihil deſideratum eſt eorum quæ conciliandæ venuſtaſti inſerviunt, defueruntque omnia quæ obeſſe poſsent. In parentis phantaſia nil abſonum; fætu non gravabatur; nihil violentum inter pariendum experta eſt. Exceſsus cibi, & immoderatus voluptatum uſus in ipſa nullus. Jeſu denique corpus opus fuiſse abſolutiſſimum neceſse eſt, utpote conceptum e puriſſima Virgine Spiritu ſancto obumbrata.

Imago Chriſti una cum literis ad Abagarum miſſa.

VI. Refert S. Joannes Damaſcenus (*d*), Abagarum Regem Edeſsæ virum miſiſse peritum exprimendæ coloribus Jeſu Chriſti imagini; ſed ille ſplendore vultus ipſius ita perſtrictus eſt, ut

(*a*) Auguſt. de Gratia Chriſti cont. Pelag. & Cæleſt. c. 22. & alibi.

(*b*) Hieron. ibid. & alii.

(*c*) Pſ. XLIV. 3.

(*d*) Damaſ. de Fide Orthodoxa l. 4. c. 17.

ut ab incepto deſiſtere cogeretur. Tunc Jeſus vota Principis expleturus, telam picturæ paratam applicuit vultui, ſtatimque imaginem in illa ſuam impreſſit, quam & tranſmiſit ad Abagarum. Communi Orientalium omnium, qua Chriſtianorum, qua Turcarum traditione receptum eſt, Abagarum literas ad Jeſum Chriſtum dediſse, a quo viciſſim alias recepit una cum prædicta imagine (*a*). Euſebius refert haſce literas, profiteturque ex Edeſsæ monumentis & annalibus ſe illas exſcripſiſse (*b*). De illis agunt Comes Darius apud S. Auguſtinum (*c*), S. Ephrem Syrus, Procopius, Evagrius, aliique multi, quibus aſsentiuntur Gretſerus, Tillemontius, Serry, Gardeboſchius, Cacciari, præter Centuriatores, Montacutium, Guilelmum Cave, Erneſtum Grabe, alioſque Acatholicos (*d*). Fatetur Abagarus in ſua ad Chriſtum epiſtola, ipſum eſse aut Deum, qui e Cælo ægris ſanandis delapſus ſit, aut Dei Filium; oratque, ut Edeſsam veniat, Judæorum perſecutionem declinaturus, ſibique ſanitatem reſtituturus. Cui Chriſtus hæc reſpondit: *Beatus es, Abagare, qui in me credideris, quem non vidiſti. De me enim ſcriptum eſt, eos qui me viderint, non credituros in me, ut ii qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod vero ad me ſcribis, ut ad te proficiſcar, hic neceſſe habeo omnia implere, propter quæ miſſus ſum; iiſque demum abſo-*

(*a*) Herbelot. Bibl. nov. Edit. Orient. v. *Abagar*.

(*b*) Euſeb. l. 1. c. 13.

(*c*) Ap. Aug. Ep. 230.

(*d*) Berti de Theolog. diſcipl. l. 29. c. 6.

abſolutis, ad illum, qui me miſit, reverti. Ceterum cum primum ad eum me recepero, ex diſcipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi, tuiſque omnibus præſtet. Addunt, S. Thomam poſt Chriſti Reſurrectionem Thadæum miſiſse, ex ſeptuaginta Diſcipulis, alium ab Apoſtolo Thadęo, ut Edeſsę Chriſtum annuntiaret, Regemque, qua laborabat, infirmitate liberaret. Quæ congeruntur adverſus haſce epiſtolas argumenta, ex Cano, Dupino, Alexandro, Graveſonio, Gotti, & ex Hæreticis Caſaubono, Clerico, Baſnagio, aliiſque, innituntur plerumque negantibus quibuſdam ratiocinationibus, quæ explodendis tamquam ſuppoſititiis veteribus monumentis impares habentur. Præterea illorum argumenta hiſtoriam & veritatem harum epiſtolarum magis impugnant, quam imaginis, a Chriſto prodigio expreſſæ. *Chriſtus*, teſte Nicephoro, *egregio, vividoque vultu fuit. Frumenti referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem; ſed qualis Matri ejus erat, paulum deorſum verſum vergentem, ac modice rubicundam, gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præſeferentem* (*a*). Vetuſtiſſimæ imagines Chriſti, quæ non manufactæ creduntur, ut ſudarium Veronicæ, altera ad Scalam ſanctam Romæ aſſervata, & ſacra Sindon, quæ Auguſtæ Taurinorum colitur: hæ, inquam, imagines eamdem Chriſti referunt formam, quam deſcribit Nicephorus. S. Bernar-

(*a*) Hiſt. Eccl. l. 1. c. 40.

nardus: *Adhærebant ei*, inquit, *populi*, *affatu pariter & aſpectu illius delectati*, *cujus nimirum vox ſuavis*, *& facies decora* (*a*). Eamdem pariter opinionem promovent ſane plurimum quæ leguntur in epiſtola Publio Lentulo affi-cta; quæ tamen ex authenticis monumentis Auctor, quicunque ille fuerit, forte mutuatus eſt. *Vir eſt altæ ſtaturæ*, *proportionatæ*, *& conſpectus vultus ejus cum ſeveritate*, *& plenus efficacia*, *ut ſpectatores amare eum poſſint*, *& rurſus timere*. *Pili capitis ejus vinei coloris uſque ad fundamentum aurium*, *ſine radiatione & erecti*, *& a fundamento aurium uſque ad humeros contorti ac lucidi*; *& ab humeris deorſum pendentes*, *bifido vertice diſpoſiti in modum Nazaræorum*. *Barba ejus multa*, *& colore pilorum capitis*, *bifurcata*. *Frons plana*, *facies ſine macula*, *quam rubor quidam temperatus ornat*; *oculi cærulei*, *& extreme lucidi*. *Pulcherrimus vultu inter homines ſatos* (*b*). Plura alia ex aliis Auctoribus maxime recentioribus in eamdem rem laudarentur.

Chriſti elegantia nonnullis improbatur.

VII. Promenda modo quæ pro ineleganti corporis Jeſu Chriſti forma ducuntur in medium. Iſaias de Meſſia ſcripſit: *Non eſt ſpecies ei*, *neque decor*; *& vidimus eum*, *& non erat aſpectus* (*c*). Si aſpectu Jeſus Chriſtus excelluiſſet, Evangeliſtæ aliquid ea de re innuiſſent. Vetuſtiſſimi quique Patres illiberalem

(*a*) Ser. I. in Feſto omnium Sanctorum.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. c. ult. n. 19. Fabric. Apocriph. N.T. t.1. p.301. & t.2. p.486.

(*c*) Iſa. LII. 14. & LIII. 2.

lem forma illum perhibuerunt. S. Irenæus *hominem indecorum* appellat (*a*). Objicienti Celſo Chriſtianis, Jeſum hominem fuiſſe aſpectu temnendum, & e vulgo, atque inde inferenti, alienum fuiſſe a Numinis majeſtate repoſuit Origenes, ſcriptum reperiri, Jeſum ingrato quidem futurum aſpectu, ſed non puſillo corpore, nec obſcuris natalibus. S. Clemens Alexandrinus fatetur, Jeſum Chriſtum corporis quidem forma inglorium fuiſſe, non vero anima; veniſſe autem in Mundum venuſtate corporis, quæ oculos capit, deſtitutum, ne ſcilicet homines exteriori illius formæ adhærentes, ſpiritualia, quæ annuntiabat, ſeu negligerent, ſeu minori guſtu & ſapore æſtimarent (*b*). Tertullianus de Idololatria: *Vultu*, ait, *& aſpectu inglorius*: & adverſus Judæos: *Ne aſpectu quidem honeſtus*. Iterum de carne Chriſti: *An auſus eſſet aliquis ſputaminibus contaminare faciem non merentem?* Veteres plerique, Euſebius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Baſilius, Theodoretus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Iſidorus Peluſiota illud Pſalmi, *Specioſus præ filiis hominum*, de animi nitore exponendum cenſuerunt. Ex his omnibus recte inferas, primævæ Chriſtianitatis Scriptores invenuſtati Jeſu Chriſti plus faviſſe, quam venuſtati. Quæ invaluit contraria opinio, recentior eſt. Utraque tamen ſine Fidei diſpendio teneretur.

VIII.

(*a*) Iren. l. 3. c. 19. nov. Edit.

(*b*) Pædagog. l. 3. c. 1. Strom. l. 1. c. 3.

VIII. Oppoſitas ſententias in unam conciliaremus, modo illa admittatur, quæ inter utramque mediat, docetque, nihil Chriſto, quod inſigniter fædum ſit, aut egregie pulchrum, tribuendum eſſe. Vix enim perſuaderemur, aut humanitatem Flii Dei fæditatem decuiſſe, eamque conſtitutis a Jeſu Chriſto conſiliis, de vocandis ad ſe hominibus plurimum contuliſſe; aut molliorem quamdam, laſcivioremque venuſtatem vitæ, in laboribus, in paupertate, in rebus adverſis perpetuo exactæ, ſatis conveniſſe (*a*). Quomodocumque res habuerit ſe ſe, ex rationibus ante hanc non inutilem digreſſionem prælibatis ſatis ſuperque habemus, ut Matthæum, juſſionibus Salvatoris obtemperantem, ſapientiſſime ſe geſſiſſe, dicamus. *Conciliantur opiniones.*

IX. Cum munere ſuo Matthæus ſe liberaſſet, Jeſum ejuſque diſcipulos convivio in domo ſua excepit, accitis ſimul pluribus ex Publicanis, aliiſque ſibi familiaribus viris, qui apud Judæos deploratæ erant famæ. Ea res Phariſæorum animos offendit; quare cum diſcipulis Jeſu conqueſti ſunt, quod cum hujuſmodi hominibus cibum caperet. Quibus Jeſus reſpondit, non ſanos, ſed ægrotos Medico indigere; malle ſe caritatis opera, ſinceramque peccatorum converſionem, quam ſacrificia, moreſque legales; veniſſe autem magis peccatoribus, quam juſtis vocandis, ſalvandiſ- *Chriſtus ſalvandis peccatoribus venit.*

(*a*) Vide Calm. diſ- l. 26. c. 5. ſert. in Iſaiam, & Berti

diſque (*a*). Exceperunt Joannis diſcipuli, facile a Phariſæis corrupti, mirari ſe, quod ille ejuſque diſcipuli populari, magiſque commoda vivendi ratione uterentur, cum ipſi ac Phariſæi frequenter jejunarent. Verum Chriſtus triplici comparatione illos repreſſit. Prima, adoleſcentes, qui Sponſo per ſolemnes nuptiarum dies honoris & obſequii cauſa dantur, jejunium & atros dies eo temporis ſpatio ſervare non ſolent. Abſolutis autem nuptiis, pro ſuo quiſque libito jejunat. Altera, rudis pannus ad veterem veſtem ſi aſſuatur, majorem veſtis facit ſciſſuram. Tertia, recens fumanſque vinum veteres utres diſrumpit. His autem exhibebat ſe Chriſtus ceu Sponſum, ſuæque prædicationis tempus, veluti nuptiarum dies, quibus jejunare diſcipulos ſuos dedeceret; ſe autem per mortem ſublato, illos dira paſſuros. Significabat pariter diſcipulos ſuos ſimiles eſſe veſtibus uſu tritis & vetuſtis utribus; leniter proinde, humaniſſimeque tractandos, quo durare illi, atque apoſtolicis laboribus pares eſſe valeant. Ubi vero ablatum fuerit per doctrinas exemplaque Salvatoris, illapſumque Spiritus ſancti, quod ex veteri conſuetudine habent, confirmatumque quod ex nova converſione adepti ſunt, tunc duriora illis & aſperiora perferenda erunt.

Alterum Chriſti Paſcha. Curatio Paralytici ad Piſcinam probaticã. Quid de illa Piſcina ſentiendum?

X. Cum Hieroſolymam ad Feſtum Paſchatis aſcendiſſet Jeſus, paralyticum juxta Piſcinam Betheſda, ſive Bethzaida, græce Probatica,

(*a*) Luc. v. 29. Matth. IX. 11.

tica, ſanavit (*a*). Erat igitur Hieroſolymis quædam Piſcina, quæ *Probatica* dicebatur, quod ibi pecora, græce *probata*, in ſacrificiis adhibenda, abluerentur. Cenſent alii, lota ibi dumtaxat victimarum viſcera. *Bethſaida* in Latinorum Libris appellatur, apud Græcos *Betheſda*. Utra lectio melior, diſputatur. Porro Bethſaida, ſicut & Betheſda nomina ſunt Hebraica; quorum primum ſonat domum piſcatus, fortaſſe quod ea piſcina piſces aliquos contineret, vel circa eam venderentur. Betheſda vero nonnullis eſt *Domus miſericordiæ*, forte ob ægros per atria, quibus ambiebatur, jacentes; aliis autem eſt *Domus cloacæ*, ſeu *effuſionis*; quod eo aquæ e Templo, & loco victimis abluendis deſtinato, effluerent. Eadem fortaſſe eſt, quæ apud Nehemiam *Piſcina Siloe* appellatur (*b*). Aquæ ſane fontis Siloes circa eum locum ſcaturientis, illam poterant implere. Commune cum urbe excidium non ſubiit, everſis dumtaxat ædificiis, quibus ornabatur. Meminit hujus piſcinæ S. Hieronymus; eamque viderunt Benjamin Tuldenſis, & Brocardus. Cum Hieroſolymorum locus mutatus ſit, modo extra urbem jacet. Olim in orientali urbis parte prope portam *Gregis* ſive *Ovium* patebat. An ex hoc contigit illi *Probatica* nomen? De Piſcinæ loco & nomine ſatis, ſuperque. Hanc autem quinque Porticus, ob formam fortaſſe pentagonum referentem, circumdabant, ubi ingens ægrorum cujuſque generis manus Angelum, qui aquas mo-

(*a*) Jo. v. 1. (*b*) 2. Eſdr. III. 15.

moveret, præſtolabatur. Angelus enim certo quodam tempore aquas illa movebat; qui autem prior ex languentium numero in aquas, ut movebantur, inſiluiſſet, a quocumque morbo incolumis regrediebatur. Quæritur, quo tempore deſcenderet Angelus; an tribus præcipuis annis Feſtis; an in Paſchate tantum, aliove feſto die; an denique incertis temporibus, Deoque ſoli notis? Lis quoque eſt de Angelo ad turbandas aquas deſcendente, bonuſne, an malus eſſet; perſpicua corporeaque forma, nec ne? Hæc omnia inter incerta relinquuntur. Illud autem nullo modo ferri poteſt, merum ſcilicet hominem, e Templo miſſum, moviſſe aquas, quibus mixtis, calefactiſque victimarum ſanguine & adipe, vis ineſſet, naturam minime excedens, morbos arcendi (*a*). Provoco ad Phyſicos Medicoſque, prodigiorum inimiciſſimos, fieri ne umquam poſſit, ut cæcus quis, aut claudus, ſive paralyſi ex longo tempore laborans, merſus aqua, qua victimarum corpora, & viſcera lota fuerint (ſi hæc de Piſcinæ illius uſu ſtatuas) ſtatim convaleſcat? Paralyticus quidam 38. ſolidos annos in piſcinæ illius margine perſeveraverat, ſpe recuperandæ ſanitatis toto eo temporis ſpatio fruſtratus. Hunc cum nactus eſſet Jeſus, an ſanus eſſe vellet, requiſivit. Reſpondit deeſſe ſibi hominem, cujus ope, quo tempore aqua movebatur, in piſcinam mitteretur, cum ipſe per ſe ſe in illam immergi non poſſet, quin alter præverteret. Cui Jeſus: *Sur-*

(*a*) Hammon. ex Theophylacto.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. His dictis, dictiſque reſpondente miraculo, Jeſus ſeceſſit ſtatim, evanuitque, tumultum populi, vel proprias laudes declinaturus. Erat autem Sabbatum; quare cum vir ille lectulo onuſtus abiret, monitus fuit a Judæis, nefas illi eſſe, ea die ſarcinam ferre. Reſpondentem vero illum, ſe id ex ſui liberatoris præcepto agere, interrogarunt, ecquis eſſet, qui Sabbato lectum tollere juberet? Hæſit ille ad hæc, quod nec Chriſtum noſſet, nec amplius videret. Aliquandiu poſt, Jeſum in Templo offendens, monetur ab illo, morbum, a quo liberatus eſt, fuiſſe criminum pœnam; pejus autem aliquid illi eventurum, niſi emendari ſtuderet; tunc liberatorem ſuum agnoſcens, acceptum ab illo beneficium palam promulgavit.

Violati Sabbati calumniā Chriſtus refellit.

XI. Porro Judæi hinc moliendi mortem Jeſu occaſionem arripuerunt, quod ſcilicet Sabbato curaret, curatoſque lectum ferre juberet. Sed cur Jeſus paralytico juſſit lectum ferre? Nonne ſatis erat homine curato, jubere illum domum reverti? Reſpondent Interpretes, voluiſſe Chriſtum ea re ſignificare, ſe ſupra Sabbatum eſſe, Feſtique dominum (*a*), ſimulque omnia diſpoſuiſſe, ut Divinitatis illius argumenta a quam maximo hominum numero agnoſcerentur. Profecto paralytici curatio notior fieri non poterat, quam Sabbati, delatique ab eo lecti occaſione. Ceterum Sabbatum divini cultus gratia inſtitutum eſt; quare quæ Dei gloriam promovent, Sabbati religioni minime

(*a*) Matth. XII. 8.

adverſantur. Cum igitur Chriſtus a Judæis argueretur, ceu Sabbati reus, his rem defendit: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor* (*a*): quæ ita interpretari poteris: Pater meus, & ego in Mundi conſervationem & regimen ſemper incumbimus, eaque in re nulla Sabbati religione tenemur. Aliter: Pater meus ſemper agit, cum voluerit, atque ubi voluerit, quin leges a quoquam accipiat, aut agere, vel ceſſare cogatur; eademque mihi, qui illius ſum Filius, ſunt conſilia, actiones, vires: Sabbati igitur quies, vobis imperata, ad nos nequaquam ſpectat. Hæc Judæorum ſtomachum magis moverunt, unanimique conſenſu in illius necem conſpirarunt, nedum tamquam Sabbati violatoris, verum etiam veluti blaſphemi, cum Patrem ſibi eſſe Deum, ſeque Deo æqualem prædicaret.

Chriſtus auctoritatem ſuam tuetur. XII. Judæorum tamen odiis, inſidiiſque inſuper habitis, plura aſſerendæ ſuæ Divinitati adjecit. Quæ a Patre fieri Filius videt, hæc ipſe pariter facit. Pater autem nihil facit quod Filio non oſtendat. Mortuorum reſurrectio, quæ ſane Paralytici curationem longe ſuperat, Patris opus eſt (*b*): hoc autem ipſum, cum libuerit, præſtabit & Filius, cui honoris ergo a Patre conceſſum eſt ut illius imperio homines reſurgant, atque ad illum in ſupremo & univerſali Judicio colligantur, pro bene vel male geſtis ſententiam ab eo prolatam

(*a*) Joan. v. 17.

(*b*) Facile ad Eliam & Eliſæum alludit, per quos Pater mortuos ſuſcitarat.

tam ſubituri : quæ quidem æquiſſima erit, cum Filius nonniſi ex Patris voluntate & ſcientia judicium exercere valeat. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* Tres horum verborum interpretationes invenias. Prima intelligit Infideles qui ſuſcepta Fide ad vitam Gratiæ reſurgent. Altera cenſet, ſupremam hic ſpectari Reſurrectionem in Mundi exitu. Tertia mortuos in vitam a Jeſu inter homines verſante revocatos præfert. Hæc autem ceteris proclivior videtur. Omiſso deinde proprio teſtimonio, quod ſuſpectum habebant Judæi, ad Joannis & Dei teſtimonia provocat, ut falſi Prophetæ & impoſtoris calumniam a ſe depellat. Porro Joannis teſtimonium, quo ille confeſſus eſt, Jeſum eſſe a Deo miſſum, Deique Filium, reſpui non poteràt, cum vir ille inſtar lucernæ, ſcilicet velut eximius Doctor & Magiſter inſignis, fulgeret in Iſraele, plurimique a Judæis, ſaltem a principio, antequam ipſorum vitia ab eo arguerentur, habitus fuerit. Teſtimonium autem Patris, multo graviſſimum, patet in Moyſe & Prophetis, qui de Meſſia ſæpius loquuntur; in voce cælitus emiſſa, quo die Chriſtus baptizatus fuit; & in prodigiis, quæ paſſim a Jeſu Dei nomine exhibita fuerunt. Tandem Jeſus remittit Judæos ad Scripturas, hortaturque, ut eas ſerio evolvant, inventuri certe, Deum in illis de ipſo loqui; futurumque pronuntiat ut Moyſes ipſe, quem tanti faciebant, apud Patrem infide-

fidelitatis eos accuſet, quod ei ab illo deſcripto, & indicato (*a*) credere noluerint.

Diſcipuli ſpicas carpunt die Sabbati.

XIII. Ex urbe Hieroſolymorum egreſſus Salvator, in Galilæam iter direxit; cumque arva ad meſſem flaveſcerent, Diſcipulis eſurientibus vellere ſpicas, atque excuſſum manibus frumentum manducare permiſit, quamvis tunc *Sabbatum ſecundo-primum*, ageretur (*b*). Rem animadvertentes Phariſæi cum Diſcipulis primum, deinde vero cum Jeſu de violata Sabbati religione iterum conqueſti ſunt. Verum Jeſus factum excuſavit, adducto Davidis exemplo, qui panibus Propoſitionis, unis Sacerdotibus in cibum permiſſis, alio non ſuppetente cibo, licet laicus, paſtus eſt (*c*). Davidis exemplo addidit morem a Sacerdotibus, Lege non repugnante, obſervatum, quibus die Sabbati ſolemne erat mactare in Templo victimas, deglubere, in fruſtra concidere, altari imponere, aliaque ad ſuum miniſterium ſpectantia peragere. Intentum ſuum confirmaturus, ait, ſe majorem eſſe Templo, in cujus gratiam quies Sabbati non ſervatur; malle pietatem, clementiam, caritatem, quam ſeveriſſimam Legis obſervationem; Sabbatum propter hominem inſtitutum eſſe, non hominem propter Sabbatum factum; cedere proinde Sabbati legem ubi de hominis vita agitur; Filium hominis denique Dominum eſſe etiam Sabbati: quibus ſane Deum ſe, & Patri æqualem ſignificat, eaque pollere auctoritate, qua

(*a*) Gen. XLIX. 10. Deut. XVIII. 15.

(*b*) Luc. VI. 1.

(*c*) 1. Reg. XXI. 2.

qua Diſcipulos Sabbati religione liberare poſſit, Legemque divinam antiquare. Sed quid ſibi vult *Sabbatum ſecundo-primum*? Sunt qui ſecundam, ſunt qui poſtremam Azymorum diem, ſunt etiam qui Pentecoſtem deſignatam autument. Paſcha enim, ajunt, primum eſt Sabbatum, Pentecoſte ſecundum, Scenopegia tertium. Omnia ſane Feſta Hebræis Sabbatum dicebantur. Alii vero primum Sabbatum illud conſtituunt, quod exordio anni civilis, menſe Tizri primum occurrebat; ſecundum vero, quod initio anni ſacri, menſe Niſan. Appellabatur illud *primum magnum Sabbatum*; hoc, *ſecundum magnum Sabbatum*. Nonnullis Sabbatum Paſchati proxime præcedens eſt *primum*, ſive *magnum* Sabbatum; Sabbatum autem primo huic deinde ſuccedens, eſt *ſecundo-primum*, ſive ſecundum a primo; primum poſt magnum Sabbatum. Aliis eſt ſabbatum, quod poſt ſecundam Paſchatis, ſive Azymorum diem primo contingebat. Suos etiam patronos habet primum Sabbatum menſis intercalaris, qui *Ne-Adar*, ſive ſecundus Adar dicebatur (*a*).

Manus aridæ curatio. Chriſti manſuetudo.

XIV. Inſequenti Sabbato, cum inſtituendis populis in Synagoga Capharnai, quo redierat, operam daret, oblatuſque illi eſſet ægrotus manu arida, interrogantibus Phariſæis, liceret ne Sabbato curare? diſſimulata hac quæſtione, aliam viciſſim propoſuit, utrum ſcilicet, niſi liceat nocere Sabbato, fas ſaltem ſit bene-

I 4

(*a*) Vide hanc Hiſt. in Luc. VI. 1. l. 1. §. 1. n. 5. & Calm.

benefacere? Et an quis imminente diſcrimine teneatur ea die alterius vitam tueri, vel potius permittere ut pereat? Cum vero Phariſæi nihil reſponderent, magis illos perſtrinxit, quærens, liceret ne pecudem, quæ in ſcrobem cecidiſſet, Sabbato educere? Hiſcentibus adhuc illis, quod conſuetudo illius temporis, & Legis interpretatio ipſis adverſaretur, intulit Chriſtus: Licet ergo Sabbato benefacere; & homo melior eſt ove; ſimulque imperavit ægroto ut manum extenderet; quæ priori ſanitati ſtatim reſtituta eſt (*a*). Phariſæi adverſus Jeſum magis commoti, in necem ipſius una cum Herodianis conſpirarunt. Quibus intellectis, in regionem ad Mare Tiberiadis confugit; euntemque turba multa ex omnibus late regionibus veniens, curandoſque deferens ægrotos, ſecuta eſt; quos omnes ſanitate quidem donavit, ſed mandatis ſimul onerabat, ne ſua ipſius prodigia palam promulgarent. Quod quidem ſilentium illis potiſſimum indixit e quibus Dæmonem expulerat, quique clamabant: *Tu es Filius Dei*. Inſigne hic datur ſpecimen lenitatis & clementiæ Jeſu Chriſti: cum enim ipſe tot prodigiis clarus, aliorumque patrandorum poteſtate præditus, hoſtes ſuos delere, innumerorumque ſcelerum arguere, ac populo inviſos facere poſſet; cedere mavult, ac morem gerere illorum odio & livori, fugiens, vetanſque, ne ſua divulgentur miracula. Quamobrem tunc luculentiſſime adimpletum eſt Iſaiæ oraculum, quo de Meſ-

(*a*) Matth. XII. 9. Marc. III. 1. Luc. VI. 6.

Meſſia prædictum fuit: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Arundinem quaſſatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium; & in nomine ejus Gentes ſperabunt* (*a*); hoc eſt: Imperioſus non erit, neque clamoſus, aut minax. In peccatores ſeveritate non utetur, ſed miſericordia & patientia, donec cauſæ ſuæ æquitatem in ſuprema judicii die manifeſtam faciat. Idcirco Gentes tanta ſuavitate & clementia devictæ illum in Deum, & Salvatorem ſuſcipient. Iſaiæ locum aliter a S. Matthæo legunt Hebræi; ab utriſque autem diſſident Septuaginta. Hanc variationem cave petas ab oſcitantia Evangeliſtæ, ſive ab ipſius memoriæ lapſu; ſed vel a Librariorum incuria, vel ex eo quod Evangeliſta, prætermiſſo verborum ordine, ſenſum protuliſſe contentus fuerit (*b*).

Apoſtolorum electio.

XV. Multitudini, qua pene opprimebatur, volens Jeſus ſe ſubducere, parari ſibi naviculam præcepit, trajectoque Mari Tiberiadis in montis cujuſdam ſolitudinem ſe recepit, una ſecum illos tantum adducens, quos ipſi collibitum fuit (*c*). Ibi totam noctem exegit orando; mane vero facto, diſcipulos ſuos ad ſe accivit, electiſque ex illis duodecim munus prædicandi, pellendique morbos & Dæmones, contulit, quos & Apoſtolos nominavit. Nomina

(*a*) Iſa. XLII. 1. & in Matth. XII. 19.

(*b*) S. Hieron. in Iſa. XLII. in Mich. l. 2. c. 5.

(*c*) Marc. III. 9.

XXVII. & ep. ad Algaſiam.

mina autem Apoſtolorum hæc ſunt. 1. Petrus; 2. Andreas; 3. Joannes Evangeliſta; 4. Philippus; 5. Jacobus Major; 6. Bartholomæus; 7. Thomas; 8. Matthæus; 9. Simon; 10. Thadæus, ſive Judas; 11. Jacobus Minor; 12. Judas Iſcarioth (*a*). Porro *Apoſtolos* Græcum nomen eſt, quod *Miſſum* ſignificat; eoque nomine apud Hebræos appellabantur qui deferendis mandatis, de rebus ad Religionem pertinentibus, ſummorum Sacerdotum & Principum populi ad urbes & provincias deſtinabantur. Alii autem cenſent, ante Chriſti adventum, genus Apoſtolorum extitiſſe pro exigenda viritim ea Sicli medietate, quam ſinguli Hebræi Tabernaculo, vel Templo ſolvebant (*b*).

Sermo Chriſti in monte. Beatitudines. Apoſtoli ſunt Sal, Lux, Urbs. Chriſtus non ſolvit Legem. Quid Gehenna ignis? Pax cum proximo colenda. Prava deſideria damnantur. Repudii fines. Perjuria. Lex Talionis reformata. Caritas in omnes. Intentio, Oratio, Liberalitas. Judiciorum temeritas. Porta Cæli anguſta. Falſi Prophetæ.

ANNO MUNDI 4031. Chriſti 31. Æræ Vulgaris 27.

CAP. II.

Octo Beatitudines.

I. CUm e monte deſcendiſſet Jeſus, ad radices illius invenit turbam, quæ illum, navi-

(*a*) Marc. III. 9. 19. Luc. VI. 12. 17.

(*b*) Vide Dict. Calmeti v. *Apoſtolus*, & Supplem. v. *Capitatio*.

navicula ſe ſe proripientem, terreſtri itinere ſecuta fuerat circa lacum Tiberiadis profecta in alteram lacus oram. Ibi a morbis, & Dæmonibus ſanavit quotquot ægros nactus eſt; conſcenſoque deinde loco quodam edito, Apoſtolis, diſcipulis, turbiſque omnibus verba facere cœpit, totamque Doctrinæ evangelicæ ſummam uno ſermone complexus eſt (*a*). Principio beatos aſſeruit, Regnoque Cælorum comparatos, Pauperes, Mites, Lugentes, Sectatoreſque Juſtitiæ, Miſericordiæ, Munditiei, & Pacis, quique perſecutionum pondus Dei cauſa ſuſtinere coguntur. Porro Pauperum nomine non tantum inopes reipſa, mendicique ſuam miſeriam æquo animo ferentes intelliguntur, ſed etiam divitiarum contemptores, ſimplices, dociles, humiles: quos textus omnium maxime indicare videtur: *Beati pauperes ſpiritu*. Ad Mites reducuntur morigeri, patientes, iique omnes, qui jurgiorum cauſas vitant, paremque malis gratiam referre neſciunt. Non omnis Luctus ad æternam felicitatem ducit, ſed ille dumtaxat quem Dei timor aut amor, pœnitentia, miſericordia, & Paradiſi deſiderium exprimit. Lugent etiam utiliter, qui ob hujus vitæ ærumnas lacrymas fundunt, modo illas ferant animo Dei voluntati ſubjecto. Deſiderium Juſtitiæ ſive Sanctitatis imitari debet ſtudium, anxietatemque qua homo fame ſitique laborans potum & cibum exoptat, quæritque. *Beati*, inquit, *qui eſuriunt, & ſitiunt Juſtitiam*. Miſericordia ſum-

(*a*) Matth. v. vi. vii. Luc. vi. 17. 49.

ſummopere commendanda erat Judæis, genio in advenas ſæviſſimi, impiique & cruenti in hoſtes. Purum ſe ſatis putabat Judæus, ubi legali ſorde, qua corpus inficitur, careret. Exigit Chriſtus interiorem puritatem: *Beati Mundi corde*; quæ innocentia, candore, æquitate, pudicitia comparatur. Qui amore Pacis flagrat, eam non tantum lenitate, patientia, clementia, obſequio tuetur in ſe, verum etiam publicis privatiſque officiis promovet in aliis, diſſentientes concilians. In perſecutionibus denique non quid feras, quæritur, ſed cur & quomodo; unde ait: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam*. Juſtitiæ nomine intelligitur nedum virtus illa quæ unicuique quod ſuum eſt, tribuit, ſed quæcumque etiam alia virtus, quin & ipſemet Jeſus Chriſtus (*a*). Porro iſtas Beatitudines, quas ex Matthæo retulimus, brevius recitat Lucas, & ad quatuor tantum reſtringit (*b*).

Divitum infelicitas. Apoſtoli Sali, Luci, & Urbi comparantur. Chriſtus Legem non ſolvit.

II. Proſequens ſermonem ſuum Chriſtus, peſſimam illorum conditionem dixit, qui in hac vita divitiis, voluptatibus, honoribuſque abundant, nihilque illis in altera vita ſperandum denuntiavit. Ad Apoſtolos autem converſus, ipſos, ait, hominibus eſſe inſtar ſalis, quo fecunditas agris reſtituitur; monetque, ſalem ſemel corruptum, cum non poſſit alio corrigi, ab omnibus proculcari. Quidam ſal eſt e lixivio cinerum, quibus ſtercorantur agri & prata. Margam pariter, quæ genus cretæ eſt,

(*a*) Confer Matth. v. 10. cum Luc. vi. 22.

(*b*) Ambroſ. lib. 5. in Lucam.

eſt, cinereſque e ramis arborum herbis, frondibuſque crematis, aliquid ſalis habent, quo humus fecundatur. Quod ſi ſalem hunc, margam ſcilicet & cineres, diutius aeri vel imbribus expoſitum reliqueris in loco ſterili, aſpero, & lapidoſo, hic vires amittit, exutaque omni fecundandi terram, aut augendi ſterquilinium vi, inter omnino inutilia rejicitur (a). Ad hujus ſalis genus Chriſtus facile ſpectat; qui Apoſtolos luci quoque, & candelabro, urbique ſuper montem conſtitutæ, ac omnium oculis expoſitæ, comparavit, quo intelligerent, doctrinam, quam ex ipſo didicerant, abſcondendam non eſſe, aut pravis exemplis, falſiſque dogmatibus corrumpendam; ſed curandum potius, ut ex rebus ipſorum bene geſtis Deo gloria apud videntes oriatur. Docuit præterea, ſe idcirco non veniſſe, ut legi non obtemperaret, illiuſque obſervantiam aboleret, ſed ut ſupremam illi manum imponeret, figuraſque, & Prophetarum oracula in ſe uno expleta demonſtraret: Cælum potius terramque funditus interitura, quam ulla ex Scripturis vocula, ullumque elementum non impleantur: Qui violaverint, aut ceteros violare docuerint vel quid minimum, illos e ſuorum numero ejiciendos. Revera in moralia præcepta manum non intulit Chriſtus, niſi ut ea ab iniquis Phariſæorum interpretationibus vindicaret, illorumque exercitium multo accuratiſſimum, ac puriſſimum redderet. Rem ſub figurarum involucris la-

(a) Plin. l. 17. c. 6. & 7. Varro de Re Ruſt. l. 1. c. 7.

latentem explicuit, ablatoque a Fidelibus jugo rituum & cæremoniarum, quas ipſimet Prophetæ abolitum iri prædixerant (*a*), caritatis legem illis impoſuit. E rudi tabula, primis lineis adumbrata, nobiliſſimam atque abſolutiſſimam effecit.

Evangelii Perfectio. Judæorum Tribunalia. Gehenna ignis.

III. Nedum vero Legem ſervari volebat, ſed adjecit, ſatis illam non ſervari, ita ut per eam quis ad Cælorum Regnum perveniret, niſi illius obſequio ſuperentur Scribæ & Phariſæi, quos vulgus ſtudioſiſſimos omnium Legis amatores exiſtimabat; atque hujuſmodi ſanctitatem Judaica majorem nonnullis exemplis illuſtravit. Homicidium vetuerat Moyſes, indicta mortis pœna. Hoc ſervabant Judæi, ſed viciſſim nullam de ſecretis animi motibus, nullamque de injurioſis verbis, quibus ira & odium internum exprimitur, ſententiam ferebant. At Chriſtus hæc omnia damnans: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt Antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis* (*b*). Tria erant ætate Chriſti apud Judæos Tribunalium genera. Primum ex tribus Judicibus, qui de rebus minoris momenti, veluti de furto, ſententiam ferebant; cujuſmodi Tribunalia ſingula in ſingulis urbibus erant. Alterum ex Judicibus viginti tribus,

(*a*) Iſai. I. 11. 12. 13. 10. Gal. V. 1. Jerem. VI. 29. Pſalm. I. 18. Amos V. 2. Vide & Act. XV.

(*b*) Matth. V. 21.

bus, qui de rebus gravioribus, & capitalibus decernebant. Illud porro dicebatur Synedrium minus; atque huc facile ſpectavit Chriſtus, ubi ait: *Reus erit Judicio*; nempe, qui odio in proximum æſtuat, eadem capitali pęnâ damnandus eſt, ac ille qui ipſum necaret. In *Judicio* veſtro actus tantum exterior punitur; at in Judicio divino etiam internus. Si fratrem oderis, coram ſupremo animorum Judice par es homicidæ. Tertium denique Tribunal apud Judæos magnum erat Synedrium, ex Judicibus duobus & ſeptuaginta conflatum, quorum erat cognoſcere de rebus omnium graviſſimis, ad Religionem, Regem, ſummum Pontificem, & Rempublicam ſpectantibus. Poſtremum hoc Tribunal Chriſtus *Concilii* nomine indicaſſe creditur (*a*). Vult igitur Jeſus, illum qui adeo furit, ut in verba contumelioſa, veluti *Raca*, quod eſt *iners*, *levis mente*, vel *homo nihili*, prorumpat, eaſdem coram Deo pœnas mereri, quibus a magno Synedrio majora flagitia plectuntur. Qui denique ulterius progrediens, *Fatue*, quod apud Judæos ſonat *ſceleſtus*, *impius*, *nequam*(*b*), in fratrem pronūtiat, reus gehennę erit: nullum enim apud homines eſt par huic peccato ſupplicium. *Gehenna ignis* procul dubio eſt Inferorum locus, æternumque ſupplicium, quod iis qui proximum graviter lædunt, debetur. Locus erat Jeroſolymis proximus, ubi perpetuus ignis cremandis in honorem Molochi humanis victimis olim alebatur. Appellabant *Ge Benei-Hinnom*, Val-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 4. c. 6. n. 7. 8.

(*b*) Pſ. XIII. 1. XLVIII. 11 LXXIII. 18. XCI. 7.

Vallem ſcilicet Filiorum Hinnon. Illam Joſias Rex ſordibus & morticinis ita contaminavit, ut deinceps publica cloaca haberetur (*a*). Vitandæ autem contagionis cauſa, inquiunt, ignis ibi deinceps jugiter ſervatus eſt, quo projecta cadavera abſumerentur. Nonnulla tamen, ut videntibus diuturnior incuteretur terror, inhumata ibi avibus, feris, vermibuſque relinquebantur. Habes, quo Chriſtus ſpectet, & unde Inferni figura expreſſa ſit ...

Hoſtia ſine caritate non placet.

IV. Docebant Hebræorum Doctores, ſacra fieri poſſe animo ſimultatis & inimiciarum pleno, dummodo pravum opus non obſiſteret, legalemque maculam non induxiſſet. Errorem hunc correcturus Chriſtus: Si quam, ait, ad Altare hoſtiam oblaturus duxiſti, eodemque tempore memineris, fratrem tuum aliqua in te ſimultate affici, relinque ibi hoſtiam, ſtatimque abiens quæſito fratri reconciliare.

Pax cum Proximo colenda.

V. Pro conſueto apud Hebræos judiciorum more, actor ipſe reum occupabat, ducebatque ad Judicem; eoque renuente, publica vis poſtulabatur. Dicente cauſam accuſatore, alter defendebat: tum lata ab Judice ſententia ab apparitore ſtatim urgebatur. Monuit Chriſtus defenſorem, ut cum actore conveniat, antequam ad Judicem accedat, dum adhuc in via eſt. Si enim de re cognoſcere cœperit judex, nulla compoſitionis libertas ſupererit, ſed ad minimam uſque denarioli partem res perducetur, nec niſi ea ſoluta e carcere egredietur.

Qui-

(*a*) 4. Reg. XXIII. 10. Hiſtor. l. 6. c. 3. n. 8. Jerem. VII. 32. Vide hanc

Quibus innuere voluit, ſervandam eſſe pacem cum iis quorum odiis exagitamur, ſi divini judicii ſeveritatem vitare cupimus.

VI. Phariſæi malas cogitationes, peccati loco minime habebant: quamobrem nonniſi adulterium re ipſa patratum, ac cetera hujus generis opera Lege damnari arbitrabantur (*a*). Hanc opinionem corrigit Chriſtus, eodem loco conſtituens adulterium, ac adulterandi deſiderium, damnatque nedum flagitia pudicitiæ contraria, verum etiam pravam voluntatem, moroſas cogitationes, laſcivoſque intuitus, quidquid denique animum polluere poteſt; jubens præterea ut occaſiones omnes, omnemque prophani amoris materiam, quamvis ex ſe innoxiæ eſsent, caræque ceu dexter oculus, aut manus, amputemus. *Prava deſideria damnantur.*

VII. Moyſes repudium, ſive divortium Judæis permiſit *ob duritiam cordis*, ut majoribus ſcilicet malis occurreret, quibus alioquin illorum pervicacia ſe ſe immiſcuiſſet (*b*). Repudii cauſas diſtincte non enumerat Moyſes, ac ſolummodo fert: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fæditatem; ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius*. Hebræorum Doctores in diverſa abierunt: ſchola enim Sammaiæ, qui paulo ante Chriſtum vivebat, repudium nonniſi ex ſæ- *Repudii fines arctantur.*

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 3. c. 5. n. 21.

(*b*) Deut. XXIV. 1. Matth. V. 31. XIX. 3. 8. Vide hanc Hiſtor. l. 4. c. 5. n. 67.

Digitized by Google

fædo aliquo crimine permittebat. Schola vero Hillel, ejuſdem Sammaiæ diſcipuli, leviorem quamcumque cauſam, vel culpam probabat. Akiba denique, qui utriſque ſucceſſit, rem ad genium & voluptatem mariti deduxit; cui de recentioribus Judæis paria narrat Leo Modena: Si enim, inquit, mulier oculis viri minus blandiatur, ſtatim abjici poteſt. Chriſtus tantæ licentiæ modum imponere volens, ſolam ad repudium fornicationis, ſive adulterii cauſam probavit. Veteres nonnulli putavere, repudium adulterii cauſa non modo permitti, ſed etiam imperari. Patres tamen, ac Theologi contraria omnia docent communius; apud quos etiam invenies tamquam certum abſolutumque Fidei dogma, Cajetano, Catharino, aliiſque paucis diſſentientibus, conjugii vinculum per divortium, quamvis adulterii cauſa inductum, minime diſſolvi, novaſque poſt divortium nuptias, quas Moſaica Lex permittebat, a Chriſto ceu adulterinas fuiſſe damnatas (*a*).

Perjuria eliminantur. VIII. Vetabat Lex perjurium, jubebatque præſtari ea quæ jurejurando promiſſa erant. Hæc porro peſſime interpretabantur Hebræorum doctores, docebantque, nullam eſſe juris jurandi obligationem, ubi expreſſa Dei, aut divinæ alicujus proprietatis mentio non interveniret. Jurantes igitur *per cælum*, *per terram*, *per Jeroſolymam*, *per caput meum*, liberi pronuntiabantur. Hujuſmodi autem interpretationes Chriſtus damnavit. *Cælum enim*, ait, *Dei*

ſedes

(*a*) Calm. de Divortiis, & Berti l. 37. c. 12.

ſedes eſt. Debito igitur erga Deum obſequio dees, ubi per cælum juraveris. Idem dicito de terra, quæ ſcabellum pedum Domini eſt; de Jeroſolyma, quam Deus in urbem ſuam elegit; de capite tuo, cujus capilli Dei providentia gubernantur. *Sit* igitur, addit Chriſtus, *ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*. Non illud tamen ait Chriſtus, malum eſſe quidquid jurejurando affirmaveris, ſed *malo ex fonte* oriri; quod ſcilicet tantum non ſit inter homines bonæ fidei, ſinceritatis, & juſtitiæ ſtudium, ut nemo juſjurandum aut poſtulare, aut reddere cogatur. Licet interdum jurare, ſed corrigendum vitium, ac nimia jurandi facilitas in iis etiam quæ nullius momenti ſunt.

Lex Talionis reformata.

IX. Pœnam Talionis decernit Moyſes in eos qui corpus proximi vulnerarunt, vel occiderunt: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente* (*a*). Nullo negotio intelligis, Legislatoris mentem non fuiſſe ut hujuſmodi lex ex mero verborum ſono ſervaretur. Quare mitiori ſenſu ita temperanda erat, ut inferret tantum reis multam quamdam pecuniarum, vel pœnam, a Judice decernendam, quæ crimini reſponderet. Verum Judæi, illi præſertim qui Saducæorum ſectæ addicti erant, nihil levamenti admittebant; quibus reformandis, augendæque caritatis gratia, Chriſtus nedum illud vetavit, ne ſcilicet vindictam & odium exerceremus, verum etiam ne jus noſtrum defendendo perſequeremur, parati ferre non tan-

 tum

(*a*) Exod. XXI. 23.

tum primas injurias, ſed quoties inimicus invaſerit; eumque rebus noſtris, qua in eelemoſynam tributis, qua mutuo datis, ſublevare. Multa tamen hic ſunt, quæ agere debemus non ex rigore præcepti, ſed ex perfectione conſilii. Interdum etiam opus eſt ut vel alium judicio poſtulemus, vel noſtra defendamus, quin ullum interveniat peccatum.

Proximi quicunque diligendi. X. Præcepto illi divino, *Diliges proximum tuum*, alterum addiderant Phariſæi, *Et odio habebis inimicum tuum* (*a*). Quod tamen ex illis fortaſſe intulerant, quibus Deus ſubjecit Chananæos, alioſque populos, præcipiens Hebræis, ut illos penitus delerent, ac ſæviſſime exagitarent (*b*). Exceſſerant autem Judæi terminos a Deo conſtitutos, dum odium ſuum ad Ethnicos quoſcumque, ad Samaritanos, ad Publicanos, & ad hoſtes univerſos derivarunt. Chriſtus alia omnia ſentit; vult enim ut inimicum noſtrum amemus, beneficiis proſequamur, precibus juvemus, ſalutemque omnibus indiſcriminatim dicamus; quo Deum, Solis beneficio bonos æque ac impios donantem, imitemur, eaque ſit noſtra caritatis perfectio, ut, ſi fieri queat, cæleſtis Patris caritatem æmulemur.

Recta mentis intentio. XI. Pergens Chriſtus inſtruere populum, docet, nedum ſuperandos eſſe bene agendo perfectiſſimos Judæorum, ſed ea tantum mente bene agendum eſſe ut placeas Deo, & debita proximis officia perſolvas; minime vero ut

(*a*) Eraſm. Druſ. Schind. Janſ. Brug. Spanh.

(*b*) Aug. l. 1. de ſerm. Domini in monte, Grotius.

ut conſpicuus fias, & hominum exiſtimationem aucuperis. Id vero maxime obſervandum præcepit iis qui eleemoſynam faciunt, monens ne vel ambitioſo apparatu, vel publicis in cœtibus ad plauſum captandum largiantur ſtipem: *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te* (*a*). Putant interpretes quidam, ſolemne fuiſſe Phariſæis tibicinem præmittere, qui inopes ad ſtipem capiendam colligeret. Ajunt alii, cippum fuiſſe in Templo, in quem ſtipes congererentur; cujus cippi os in tubæ formam pateret; projectaque vehementi impetu in illud pecunia glorioſos quoſdam ſonum elicuiſſe, ut a præſentibus obſervarentur. Verum hæc, morum Hebræorum peritiſſimi negant (*b*). Quidquid hac de re fuerit, eleemoſynam, Chriſto docente, ita facere debemus, ut ne ipſi quidem, ſi fieri poſſit, ſciamus; cujus quidem boni operis clam exhibiti, Deus palam omnibus præmium reddet. Eadem de cauſa, ubi privatas ac ſpontaneas preces egeris, jubet Chriſtus ut te ſeorſum colligas; cum nullum ſit ambitioſis, plauſumque artificioſe quærentibus, in Cælis præmium, obtento, quem tantopere in hoc mundo quærunt, honore.

Modus orandi præſcribitur.

XII. Mos erat Judæis, quemadmodum & Ethnicis, ut longas preces iterationibus plenas funderent, putantibus, ſe ſe a Deo exauditum iri, ſi multa loquerentur. Morem hunc damnat Chriſtus, cum Deus, quid nobis opus ſit, vel antequam oraverimus, optime noſcat. Pulcherrimam autem, excellentiſſimamque omnium

(*a*) Matth. vi. 2. (*b*) Ligfoot. Hor. Heb.

omnium, quæ unquam dictæ fuere, orandi formulam diſcipulos ſuos docuit, quæ habet: *Pater noſter, qui es in Cælis, ſanctificetur nomen tuum: adveniat Regnum tuum: fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in Terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo. Amen.* Poſt illa verba, *Sed libera nos a malo*, Græcus addit: *Quoniam tuum eſt Regnum, Fortitudo, & Gloria in ſæcula. Amen.* Propius autem vero eſt, hæc ex ora in textum tranſiſſe. S. Matthæus non habet, *Panem quotidianum*, uti fert S. Lucas; ſed *Panem ſuperſubſtantialem*. Varietas hæc in Vulgatæ Scriptorem referenda eſt. S. Hieronymus reddidit *ſuperſubſtantialem*; at uſu ſervatum eſt *quotidianum*; cui vocabulo antiquæ verſionis aſſueverat populus (*a*). In Nazaræorum Evangelio legebatur *craſtinum*, quod accipitur non tantum pro craſtina die, ſed & pro tempore futuro; quaſi oraremus: Impertire in poſterum ſingulis diebus neceſſarium, quo alamur cibum (*b*). Qui tandem ſervandam volunt vocem *ſuperſubſtantialem*, nihil nos poſtulare docent, niſi animæ cibum, gratiam, doctrinam, Euchariſtiam.

Unde Judæorum orationes? XIII. Rabbinorum nonnulli tradunt inſtitutam precem matutinam ab Abrahamo, meridianam ab Iſaaco, veſpertinam a Jacobo. Malunt alii, nihil certi conſtitutum fuiſſe, qua in

(*a*) Hieron. in Matth. l. 1. c. 6.

(*b*) Grot. Ham. Cleric. Maldon.

in horis, qua in formula precum uſque ad tempora captivitatis Babylonicæ. Antehac enim rogabant ſinguli prout privata devotione ac pii cordis motu agebantur. Sed in captivitate Eſdras animadvertens, Judæos prophanas aliquas voces addere in formulis precum, quas ſanctitati rei minus convenire arbitrabatur, digeſſit quaſdam benedictiones, memoriæ ab Iſraelitis ſingulis ex præcepto mandandas, & recitandas quotidie. Idem fortaſſe tria orandi tempora, mane, meridie, & veſpere, lege conſtituit. Publicæ ſane in Synagoga preces ter ſingulis diebus agebantur. Exordiebatur rem totam miniſter recitans precem, quam appellant *Kaddich*, quod ſcilicet rogatur Deus, ut nomen ipſe ſuum ſanctificet in hæc verba: *O Deus, nomen tuum magnificetur, & ſanctificetur in Mundo, quem tu pro bona voluntate tua creaſti. Effice, ut regnet Regnum tuum, floreſcat Redemptio, veniat prompte Meſſias, ejuſque nomen celebretur*. Populus reſpondet: *Amen*. Hæc precandi formula vetuſtiſſima habetur quotquot ſervatæ ſunt apud Judæos; & cum chaldaice recitetur, ſuſpicioni locus eſt, digeſtam illam in captivitate Babylonica, vel paulo poſt illam ſolutam, ab eodem Eſdra. Nonnullis videtur ad hanc orandi formulam alluſiſſe Chriſtus, dum ſuam inſtitueret (*a*).

XIV. Poſtquam orandi formulam tradidiſſet Jeſus Chriſtus, nullam, adjecit, ſperandam nobis a Deo delictorum veniam, niſi pro- *Miſericordia, oſtentationis fuga, liberalitas.*

K 4

(*a*) Calm. Suppl. v. *Oratio*.

proximo noſtro, quas in nos offenſas commiſerit, ipſi quoque indulgeamus. Damnavit deinde Phariſæorum jejunantium quæſitam triſtitiam, os mæſtum, languidum, afflictum, ex quibus ingens vulgi exiſtimatio illis oriebatur, loco mercedis omnium ſuarum exercitationum futura; præcepitque viciſſim ut inanem jejunii oſtentationem fugias, exhibeaſque pro triſti, & auſtera Phariſæorum ſpecie, os facile, ſimplex, ſimillimumque illi quod deliciarum tempore præferre ſoles. Perituras quoque opes, monet, ne quæras, cum indignæ ſint quas ames, ac nimium frequentibus periculis & calamitatibus obnoxiæ fiant; ſuadet potius, ut eleemoſynarum erogatione theſauros in Cælis compares, ubi nullus eſt æruginis, tineæ, & furis metus: quæ liberalitatis virtus ex eo etiam ſectanda eſt, quod ſi munificus fueris & largus in donando, illuſtris eris, nobilis, glorioſus; ſi vero avaritiam ſectatus fueris, tenebricoſum exhibebis te, turpem, inviſum (*a*). Ita quidem nonnulli illa Chriſti verba interpretantur: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Sed ex Patrum ſententia animi oculus eſt ipſe agendi finis, ſive intentio; quæ prout bona, vel mala eſt, quidquid agis, bonum vel malum erit. Addidit autem Chriſtus: Servus Mammonæ, ſive opum Numinis, eſt avarus; Dei ſervus e contra eſt liberalis: cum autem nequeas ſimul Deo ſervire, & Mammonæ, aut pari utrumque proſequi obſequio

(*a*) Ligfoot. Hor.Hebr. in Matth. VI. 22. Hamm. Cleric. Calm.

quio & amore, alter alteri a te præferendus eſt. Nec timendus ex munificentia cibi veſtiſque defectus; nam animus profecto bonum eſt multo pretioſius, quam cibus; corpus vero, quam veſtis. Cum igitur Deus animum & corpus, quæ majora ſunt, dederit, cibum ſane & veſtem, quæ minora ſunt, certe non denegabit. Aves quamvis non laborent, a Deo tamen nutriuntur. Idem dicas de liliis, quæ venuſtis adeo veſtibus ornantur, ut Salomon in media regiæ majeſtatis pompa par illis non fuerit. Multo igitur major Deo erit veſtrum cura, quos animantibus omnibus, herbiſque præpoſuit. Præterea, cum ea in re, quæ ad vos propius ſpectare videtur, ſtaturæ nimirum veſtræ incremento, nihil penitus veſtris e viribus pendeat, ut nemo ſit, qui adhibitis artis induſtriæque conatibus cubitum unum ad ſtaturam ſuam adjicere poſſit; quid facturos ſperatis in iis quæ extra, vel ſupra vos ſunt, ex quibus felix, aut miſera vobis ſors efficitur? Abjiciendæ ergo inquietæ curæ, animique angores, quibus nonnulli Ethnicos imitati fiduciam omnem in ſuo ipſorum labore & induſtria collocant. Primum omnium in illud nitamini, ut Regnum Dei quæratis, colatiſque innocentiam & virtutem: cetera omnia ex Dei Providentia, quid vobis ſit neceſſarium optime ſcientis, expectanda ſunt. Cum de futuris cogitatis, inutilem vobis laborem creatis. Quorſum enim ſolicitudo & labor ob ea quæ nondum ſunt, ac fortaſſe nunquam erunt?

XV.

Injuſta judicia damnantur. XV. Temeraria deinde, maligna, præcipitata judicia damnat Chriſtus, monetque ne judicemus fratres noſtros, ut ipſi non judicemur a Deo, cui ſolemne eſt ea ſeveritate nos judicare, qua nos ceteros; præſertim cum proximi errores, licet leviſſimos adinſtar ſtipulæ, optime videamus, minime vero noſtros, quamvis ita ingentes ſint, ut trabem imitentur (*a*). Jubet ne myſteria Religionis, & ſalutis dogmata impiis aperiantur, qui ceu canes & ſues nacti margaritas, has quidem *proculcarent, eos vero qui illas portant, morſibus lacerarent*.

Orationi inſtandũ. XVI. Orationis utilitatem & vim parabola exponit. Panem amicus ab amico mutuum poſtulatum venit nocte intempeſta, dormientibus hero, filiis, & familiaribus. Repulſus primo, iterum rogat, extorquetque tandem perſeverando, quod abſque improbitate non impetraret (*b*). Hunc imitari opus eſt, dum aliquid a Deo petimus, qui tamen ita natura comparatus eſt, ut neminem non voti compotem remittat. Porro ſi inter homines ipſos, genio quamvis malignos, ea eſt concedendi facilitas, ut filio panem petenti, aut piſcem, vel ovum pater nunquam lapidem daturus ſit, aut ſerpentem, vel ſcorpionem; quanto magis Pater cæleſtis iis qui recte illum orant, dona Spiritus ſancti, quibus ſatis beati reddimur, largietur? Mementote tandem, ut quæ vobis fieri vultis, aliis faciatis; quo fere omnia ſpectant, quæ a Lege & Prophetis traduntur.

XVII.

(*a*) Matth. VII. 1. (*b*) Luc. XI. 5.

XVII. Enitendum, ut per anguſtam portam intretis, anguſta enim, ærumnis & laboribus plena, ad vitam; lata, in qua commoda & voluptates, ad exitium & infernum ducit: per illam pauci, multi per alteram intrant. Cum vero tunc temporis multi eſſent apud Judæos impoſtores, qui ut fucum credulis facerent, ſeſeque Prophetas venditarent, verorum Prophetarum habitum cultumque imitabantur, ac ſub ovium pelle luporum voracitatem tegebant, docet Chriſtus, una tantum ex re illos dignoſci, ex vitæ ſcilicet inſtituto moribuſque. Ut videas, dicebat, arbor bona ſit nec ne, fructum inſpicis: ita pariter ut intelligas, verus ne an falſus Propheta quiſpiam ſit, expende quid credat, quid agat; nam arborem fructus, homines vero mores & dogmata diſtinguunt. Ut dignus Dei Regno ſis, non ſatis eſt, ſi Dei nomen ſcias, labiiſque ſæpe verſes, & ceteros doceas: opus eſt ut illius voluntati obtemperes, verbiſque meis non tantum auditum, ſed & obedientiam præſtes. Plurimi ſane in ſupremo Judicii die dicent, ſe qua prophetiæ dono, qua ejectis Dæmonibus, qua miraculorum gloria veram fidem, quam ipſe docui, confirmaſſe, quibus ego: Nunquam mei vere fuiſtis, neque ex eorum numero, quos mores mihi probant: a me igitur diſcedite. Si ea quæ jubeo, expleveris, ſtrues ædificium ſupra petram more ſapientum, quod adeo ſtabile erit, ac firmum, ut nullis procellis, & alluvionibus ſit evertendum. Stultorum eſt ædificare domum ſuper are-

Porta Cæli anguſta. Prophetæ ex operibus dignoſcendi.

arenam, quam primus procellarum, & alluvionum impetus ingenti fragore ad terram proſternet: quibus illi ſimiles ſunt, qui præcepta quidem mea audiunt, ſed complere nolunt. Hæc porro locutus eſt Jeſus ad populum non ſine magna illorum admiratione; quippe qui ea auctoritate & dignitate verba faciebat, quam in Scribis & Phariſæis numquam vidiſſent.

Leproſus, & Centurionis ſervus curantur. Filius Viduæ Naim vitæ reſtituitur. Joannes Baptiſta diſcipulos ad Jeſum legat. Jeſus convivio a Simone excipitur. Una ne fuerit Maria, an tres, vel ſaltem geminæ?

CAP. III.

ANNO MUNDI 4031. Chriſti 31. Æræ Vulgaris 27.

Leproſus, & Centurionis ſervus ſanantur.

I. ABſoluto ſermone, magna hominum pars, qui illum audierant, Jeſum e monte deſcendentem, venientemque Capharnaum, ſecuta eſt. Ingreſſuro mox in urbem Jeſu, leproſus quidam, ore in terram prono, coram ſe ſe obtulit, oravitque ut incolumitatem ſibi reſtitueret, quem cum Jeſus ſanaſſet, ut ſe Sacerdoti exhiberet, & hoſtiam Lege præceptam offerret, imperavit (*a*). Ingreſſum urbem quidam ex Judæorum optimatibus rogavere, ut ad domum cujuſdam Centurionis, qui Judæis Synagogam ædificaverat, veniret, domeſticum illius curaturus. Venienti occurrerunt Centurionis amici, ejus nomine rogan-

(*a*) Matth. VIII. I.

rogantes, ne eo uſque progrederetur, cum tanto honore vir indignum ſe reputaret; qua etiam de cauſa ipſe ad illum non acceſſerat. Cum denique Jeſum, ſe nequicquam repugnante, adventare audiiſſet Centurio, ipſe obviam veniens, & humillime factum excuſans: *Domine*, ait, *non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus:* nam & ego quamvis alterius poteſtati obnoxius ſim, tamen ſi quem e militibus meis juſſero aut aliquid agere, aut aliquo proficiſci, ſtatim paret. Multo igitur magis tibi, vix juſſeris, omnia obtemperabunt. Tantam fidem Jeſus admirans, paremque illi in Iſraele numquam ſe inveniſſe teſtatus, futurum prædixit ut Ethnici, qualis fuiſſe creditur Centurio, cum vetuſtiſſimis ſanctiſſimiſque Hebræorum Patriarchis Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo in Regno Cælorum diſcumberent, ipſi vero Judæi, quibus ſumma illa Beatitudo debebatur, ex convivii aula excluſi, tenebriſque detenti, fame, frigore, deſperatione flerent, fremerentque. His Chriſtus veterum Hebræorum opinionem ſpectat, juxta quam Fideles omnes, Meſſia imperante, & in altera vita, ad menſam accumbent, & exquiſitis obſoniis veſcentur, impiis in tenebras extra convivii locum projectis. Centurionem tunc beneficio, de quo rogaverat, donatum domum remiſit (*a*).

Filius viduæ Naim ad vitam revocatur.

II. Secundum hæc, Jeſus, diſcipulis turbiſque comitatus, Naim excurrit, urbem ad radices

(*a*) Matth. VIII. 5. Luc. V. 1.

dices & ad meridiem montis Thaboris; cujus portam ingreſſuro occurrit defunctus quidam adoleſcens filius cujuſdam viduæ, quæ elatum ſequebatur, ingenti civium multitudine ſtipata. Hanc mærentem intuitus Chriſtus, flere prohibuit; ſtatimque accedens ad feretrum, dum ipſum tangeret, & portitores gradum ſiſterent, mortuum ſurgere jubet, eumque nedum vivum, ſed & loquentem matri reſtituit. His viſis Naimitæ rapti admiratione, in Dei laudes effuſi ſunt, pleno ore prædicantes, magnum Prophetam tandem veniſſe, per quem Deus populum ſuum ſingulari beneficio auxerit (*a*).

S. Jo: Baptiſta legatos ad Jeſum mittit.

III. Interim Joannis Baptiſtæ diſcipuli magiſtro ſuo, quem licet carcere detentum numquam deſeruerant, narrabant ingentem prodigiorum famam, qua Jeſus in univerſa late regione celebrabatur. Creditur Baptiſta nonnihil invidiæ adverſus Jeſum in diſcipulis ſuis animadvertiſſe, quaſi illius gloria famam Joannis oppgrimeret; quamobrem ut aptum morbo remedium adhiberet, ſimulque illos in fide Meſſiæ confirmaret, duos ex eis ad Chriſtum legavit, præcipiens, ut ipſum interrogarent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non defuere inter Veteres, qui Baptiſtam de Chriſto dubitaſſe cenſuerint; ſed hoc credendum non eſt, cum & ſæpius & luculentius teſtimonium de ipſo perhibuerit. Nec meliora ſentit Tertullianus, putans, Prophetiæ Spiritum receſſiſſe a Joanne, ut in Chriſto requieſce-

(*a*) Luc. VII. 2.

ſceret. Quorſum hæc? An non potuerit idem Spiritus in utroque manere? Nonnulli ajunt, Joannem dubitaſſe tantum de Chriſti morte. Si illos igitur audias, quærit Joannes per diſcipulos ſuos, utrum ipſe deſcenſurus ſit ad inferos, atque a ſe, uti Præcurſore, nuntiandus ſit ipſius adventus mortuis, quemadmodum vivis nuntiatus fuerat? Sed in verbis Evangelii ne verbum quidem apparet, quo hujuſmodi dubium ſubindicetur. Auctor quæſtionum ad Orthodoxos, ſub Juſtini nomine, docet, Joannem minime dubitaſſe, utrum Jeſus vere Meſſias fuerit nec ne, ſed utrum is, de quo tanta tamque præclara prædicabantur, idem eſſet, quem ipſe pro Meſſia nuntiaverat. Recentiores aliqui aliter explicant, mutato orthographiæ ordine: *Tu es, qui venturus es: cur alium expectamus?* Quis rem tam conſpicuam in dubium revocet? At opus non eſt coactis hujuſmodi interpretationibus, cum ea ſententia, quam primo loco adduximus, naturalis ſit, & Interpretibus magis probata (*a*). Jeſus igitur magna ægrorum multitudine, antequam reſponderet, curata, illo redire juſſit, quæcumque vidiſſent, cæcos nempe ad viſum, ſurdos ad auditum, leproſos ad valetudinem, mortuos ad vitam revocatos, & Evangelium pauperibus nuntiatum, Joanni renunciaturos (*b*). Adjecit, beatum illum eſſe, cui ex deſpecto ſui habitu, paupertate, vita ærumnis plena, doctrinæque ſeveritate, ſcandali occa-

ſio

(*a*) Vide Calm. in Matth. XI. 3.

(*b*) Matth. XI. 1. &c. Luc. VII. 18. &c.

ſio non fuerit. Abeuntibus autem illis, Jeſus magnifico ſane elogio Præcurſoris conſtantiam, auſteritatem, miſſionem, dignitatemque prophetica excellentiorem commendavit, teſtatus inſuper, neminem inter *natos mulierum* majorem Joanne Baptiſta ſurrexiſſe. Quibus tamen Chriſtus minime ſecum confert Joannem, cum ipſius mater fuerit virgo, non vero *mulier*, quæ vulgari modo conceperit. Adjecit autem Chriſtus de eodem Joanne (*a*): *Qui minor eſt in Regno Cælorum*, *major eſt illo*. Quorum verborum tres interpretationes invenias. I. Angelorum minimus, ſi naturam, ſcientiam, felicitatem ſpectes, Joannem longe antecedit. II. Ceterorum quidem maximus eſt Joannes; at Jeſus, qui multo minor Joanne Judæis videbatur, illum ſuperat. III. Quantumvis magnus Joannes, minor eſt minimo Chriſtianorum, cum ille ad antiquum fœdus pertineat, Chriſtiani autem ad novum, cujus dignitas multo præ altero præſtantior eſt. In Joanne, ſequitur Chriſtus, deſinunt Lex & Prophetæ, in eoque initium ſumit Evangelium. Hinc Joannes ipſe eſt Elias, qui adventum Domini præcedit (*b*). Joanni ego ſuccedo, amboque Regnum Cælorum prædicamus. Regnum autem iſtud a *diebus Joannis Baptiſtæ vim patitur*, *& violenti rapiunt illud*. Pœnitentia & mortificatione cæleſtis Beatitudo comparatur. Iter hoc Joannes tenuit, & docuit (*c*). Aliter;

(*a*) Matth. XI. 11. Luc. VII. 28.

(*b*) Malach. IV. 5.

(*c*) Auguſt. Gregor. Hieron. & Interp. paſſim.

ter: aditum in Eccleſiam quærunt, præripiuntque illius dignitates, munera, & prærogativas Ethnici, & Peccatores, qui avidiſſime excipiunt Evangelium, cum interim excludantur Judæi, Scribæ, Sacerdotes, qui Regni illius domini videbantur (*a*). Aliter etiam: Regnum iſtud jam unuſquiſque diripit, atque injuriis invadit. Publica in vincula datur Joannes, mihique ipſi parantur inſidiæ. Auſterum vitæ genus cum ſervet Joannes, a Dæmone agi dicitur; ego, qui lenius ſector, damnor, quaſi delicias amem. Qua arte gens adeo difficilis ac dura vincenda eſt (*b*)? Ludunt quidam pueri, modo canentes, modo lamentantes, quo illi & nuptiarum hilaritatem, & funeris luctum effingant: cumque eorum exemplum neminem ad ſui imitationem provocet, queruntur, quod ſocii ad ludum non accedant, neque aut hilaritatis, aut luctus participes eſſe velint. His ſimiles ego, & Joannes: hortamur, ille auſteriſſimo vitæ inſtituto, ego populari vivendi ratione; at neque me, neque illum ſequuti eſtis, neutrius inſtitutum amplectentes. Noſtra tamen vivendi docendique ratio veſtro non indiget ſuffragio: ſatis ipſi nos tuemur rerum eventu & filiis, nimirum aſſeclis & diſcipulis, quos mea humanitas, & Joannis auſteritas pepererunt.

Femina peccatrix.

IV. Cum adhuc in Urbe Naim verſaretur Jeſus, invitatus a Simone Phariſæo, venit ad convivium. Hæc intelligens quædam malæ famæ

(*a*) Hilar. Nazianz. (*b*) Calm. & alii apud Mald. Grot. Eraſm Ham. ipſum in Matth. xi. 12.

famæ mulier, eo perrexit, domumque ingreſſa, retro acceſſit ad pedes Jeſu, eoſque oſculari cœpit, lacrymis rigare, unguento linire, ac deinde capitis crinibus tergere. Diſcumbebat Jeſus more Orientalium, in ſublimi lecto, capite & ore ad convivas verſo, pedibus in exteriorem partem porrectis. Nudis autem erat pedibus, non quod ita incendere ſoleret, ſed fortaſſe quod poſuerat ſandalia, antequam diſcumberet. Retro igitur ſtans mulier, obſequia Chriſto præſtabat (*a*). Simon hæc intuitus, tacitus apud ſe reputabat Jeſum non eſſe Prophetam, qualis vulgo haberetur; ignorare propterea, quænam eſſet illa femina; quippe ſi ſciret, peccatricem numquam ſuſtineret, neque hujuſmodi officia ab ea ſuſciperet. At Jeſus, cui latentes Phariſæi cogitationes exploratæ erant, quæſivit ab eo, quid ferret in hanc rem ſententiæ? Geminis, inquit, ſibi obæratis viris fenerator quidam debitum remiſit, alteri ſcilicet 500. alteri 50. denariorum ſummam. Uter humanum creditorem magis amaret? Plane, reſpondit Simon, qui majori ære gravatus, majori ab eo beneficio affectus eſt. Viri ſententiam laudans: Hæc femina, excepit Jeſus, ſuæ in me dilectionis argumenta majora, quam tu, exhibuit. Expoſitis autem obſequiis ſibi ab illa impenſis, eaque collata cum Simone, qui Jeſum quidem invitaverat, ſed præter morem (*b*) nec pedes illius lotione, nec vultum oſculo,

(*a*) Luc. VII. 36. Calm. hic.
(*b*) Vide Grot. &

lo, nec caput unguento dignatus fuerat. *Propter, quod*, ait, *dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui minus dimittitur, minus diligit*. Ad mulierem vero converſus, crimina ſe illi omnia condonare profeſſus eſt. Quærentibus autem intra ſe convivis, quis eſſet ille, qui etiam peccata remitteret, Chriſtus mulieri dixit: *Fides tua te ſalvam fecit. Vade in pace*. Ex Jeſu Chriſti verbis, dilectio, fides, ſpes illius feminæ in cauſa fuiſſe videntur ut illi remitterentur peccatá: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Verba tamen illa aliam etiam explicationem admittunt, nimirum feminam multum amaſſe, quod multa illi remiſſa fuiſſent peccata. Vox ſane *quoniam*, vel *quia*, interdum idem ſonat ac *quare*, ſeu *idcirco*. Eamdem etiam interpretationem innuere videntur, & intentum propoſitæ obæratorum parabolæ, & id quod Chriſtus addidit: *Cui minus dimittitur, minus diligit*. Omnia autem conciliabis, ſi dicas, feminam veniam obtinuiſſe, quod multum amarit, multum vero amaſſe, quod veniam obtinuerit. Porro Jeſus eo ſpectabat, ut pravam atque temerariam Simonis in ferendo judicio facilitatem objurgaret, ejuſque ſimul tenue in ſe ſtudium carperet. Sed cur femina illa *Peccatrix* dicitur? Interpretes ſane multi eo nomine meretricem intelligunt. Quidam putant, ipſam publice nequaquam crimen exercuiſſe, ſed uſum tantum fuiſſe proco aliquo lucupletiori, & potenti. Alii, muliebri cultu plus nimio laſciviſſe; alii, Ethnicam

cam fuiſſe ; alii , arti plicandi capillos vacaſſe . Plicatrix certe apud Hebræos appellatur *Magaddela* ; legimuſque in Talmudiſtis , mulierem hujus artis & nominis , Jeſu ætate vixiſſe .

Mulieres Chriſti comites.

V. Poſt hæc Jeſus facile Hieroſolymam Feſtum Pentecoſte celebraturus petiit , indeque regreſſus , prædicationi intentus Galilæam de more obibat . Præter Apoſtolos ac Diſcipulos habebat itineris ſui comites , ſuiſque addictas obſequiis nonnullas feminas , e quibus immundos ſpiritus , morboſque depulerat . Ex illis tres enumerat S. Lucas , Mariam Magdalenem , de qua ſeptem ejecerat dæmonia , Joannam uxorem Cuſæ procuratoris Herodis , & Suſannam (*a*). Quæ tamen de Maria Magdalene a ſeptem dæmonibus liberata narrantur , S. Gregorius Magnus de ſeptemplici vitiorum tyrannide explicat . Ex Judæorum conſuetudine, ii qui prædicationi docendæque multitudini operam dabant , patiebantur ut piæ mulieres e numero aſſeclarum ſibi deſervirent , nemine prorſus improbante . Idem ſervavere poſt Chriſti Reſurrectionem Apoſtoli , licet Paulus ea conſuetudine uti noluerit (*b*).

Traditio unicam Mariam tuetur.

VI. Mariam Magdalenem , quæ Liberatori ſuo comes perpetua adhærens , ne in cruce quidem pendentem, & in tumulo clauſum deſeruit , cum illa deploratæ famæ muliere , quæ in domo Simonis Chriſti pedes lavit , cumque Maria Marthæ & Lazari ſorore , quæ Bethaniæ Chriſti pedes unguento perfudit , confunden-

(*a*) Luc. VIII. 2. (*b*) I. Cor. IV. 5.

dentes, unam tantum Mariam conſtituunt Scriptores ſane multi, Tertulliani, & S. Gregorii ſententiam ſequuti (*a*); qui obſervant, opinionem ſuam congruere maxime cum eccleſiaſticis Officiis, ſolamque obtinuiſſe in Occidente poſt eumdem Gregorium, atque auctoritate inſignium Doctorum & Interpretum valuiſſe. Contra aſſertam igitur, ajunt, Latinæ Eccleſiæ poſſeſſionem & obfirmatam tot ſæculorum perſuaſionem, non eſt cur admittatur opinio, quæ plures feminas adverſus unicam & ſingularem defendit. Plures præterea geminas tantum mulieres agnoſcunt, qui ſane in unicam convenirent, modo eis probaretur, Magdalenam eamdem eſſe ac Lazari ſororem. Id vero ita oſtenditur. Agens Chriſtus de Maria Lazari ſorore, quæ ſibi pedes Bethaniæ in ædibus Simonis Leproſi unguento perfudit, præveniri ab illa, ait, ſupremum erga ſuum cadaver officium (*b*). Nemine autem ambigente conſtat, Mariam Magdalenam condiendi cadaveris Jeſu Chriſti aromatibus curam ſuſcepiſſe (*c*). Una igitur eademque reputanda eſt ac Maria Lazari ſoror. Cur enim ait: *Prævenit ungere corpus meum*? Quod ipſe probe noſſet, volenti condire ſacrum cadaver occaſionem defuturam. Non latet, adverſarios reſponſuros, Lazari ſororem pio officio pio alteri ab altera femina, nempe a Magdalena præ-

(*a*) Natalis, Lamy, Marc. XIV. 8. Joan. XII. 7. Mauduit, Pezron.

(*b*) Matth. XVI. 12.

(*c*) Marc. XVI. 1.

Digitized by Google

ſtando, præludere potuiſſe. Sed utra melior ſit expoſitio, alii viderint.

Nonnullis tres Mariæ probantur.

VII. Aſſertores trium mulierum priorem illam ſententiam his evertere conantur (*a*). Poſſeſſio, inquiunt, cui potiſſimum adverſarii fidunt, numquam ſatis quieta & in tuto manſit. Græci enim & nonnulli etiam ex Latinis, duas ſaltem mulieres diſtinxerunt. Hiſtorias Sanctorum, Martyrumque acta, quibus Eccleſia in ſuis Officiis utitur, tamquam undequaque veras aſſertaſque defendere numquam in ſe illa ſuſcepit. Id non abs re poneretur, Eccleſiam ſcilicet ſingulari Officio noluiſſe tres in unam confundere, ſed trium memoriam una ſimul die celebrare. Agitur de facto hiſtorico, diſerte ſatis ab Evangeliſtis relato, quo tres perſonæ, tribus inter ſe diſtinctis nominibus deſignantur. Una enim feminæ peccatricis nomine appellata eſt, altera Mariæ Magdalenæ, tertia Mariæ Lazari & Marthæ ſororis. Singulæ etiam diverſis rebus geſtis clarent. Quo igitur inter ſe confundendæ demonſtrentur, non præſumptione tantum agendum eſt, neque congruentiis, aut teſtimoniis Auctorum ab ea ætate longe petitorum. Petita ex ipſa re documenta, nec ambigui teſtes promendi ſunt. Adde, S. Mariam Magdalenam, quam Jeſus a ſeptem Dæmonibus liberaverat, teſte Modeſto Patriarcha Conſtantinopolitano (*b*), poſt obitum B. Virginis, Epheſum petiiſſe,

(*a*) Mauconduit, Anquetin, Tillemontius, Baillet, quibus præivit Jacobus Faber ſtapulenſis.

(*b*) Phot. Cod. 275.

tiiſſe, ubi cum S. Joanne Evangeliſta ſubſtitit, ac tandem Martyrio Virginitatem coronavit. Ibidem obiiſſe, Græcorum Menæa tradunt; unde ipſius Reliquias Leo Sapiens Conſtantinopolim tranſtulit. Tandem traditio ſatis accepta fert, Mariam Magdalenam, Martham, & Lazarum, navi ſine malo impoſitos, Dei providentia Maſſiliam appuliſſe. An de una eademque femina hæc omnia verificari poſſunt? Omitto, quoſdam ſcripſiſſe, Mariam & Martham Hieroſolymis ad mortem uſque perſeveraſſe (*a*).

VIII. Qui inter utramque ſententiam medii incedentes, duas mulieres aſſerere malunt, quod facit & Calmetus, autumant, Mariam Magdalenem unam eamdemque eſſe cum femina non optimæ famæ, quæ in domo Simonis Phariſæi Jeſu Chriſti pedes lavit. Id autem ex eo evincere nituntur, quod S. Lucas poſt narratam hiſtoriam feminæ peccatricis ſtatim addit, Jeſum per Galilæam diſcurriſſe comitantibus nonnullis mulieribus ab eo curatis, inter quas Maria Magdalene, de qua ſeptem Dæmonia ejecerat, omnium prima memoratur. In hanc ſententiam S. Irenæus, Origenes, S. Macarius, S. Jo. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Alcuinus, S. Petrus Damianus, S. Bernardus, S. Thomas, & S. Bonaventura laudantur.

Quidam geminas adſtruunt Marias.

IX. Tribus hiſce opinionibus relatis, dicendum, quæſtionem hanc de illarum numero eſſe, de quibus poſt longam prolixamque diſ-

Multi hærent ſuſpenſi.

(*a*) Apud Bolland.

quiſitionem numquam ſatis perſpecta haberi poteſt veritas, nec certa ſatis & aſſerta pro menda ſententia. Laudandi proinde SS. Ambroſius & Hieronymus, qui hic hærent ſuſpenſi. Quibus addi poteſt & S. Auguſtinus; licet enim hic Doctor aliquando mulierem peccatricem cum Maria Lazari & Marthæ ſorore confuderit (*a*), aliquando tamen rem verſat ambiguus (*b*).

Diverſa acta uni aptantur Mariæ.

X. Si quis tamen primo loco propoſitam opinionem ſeligeret, ſyſtema a P. Pezronio feliciſſime conceptum, perpetuaque rerum ſerie conſtans, illi ſequendum proponeremus. Maria Magdalene, ait ille, non ſecus ac Lazarus & Martha, e Galilæa repetenda eſt, cujus agnomen a vico quodam *Magdalo* appellato accerſitur (*c*). Maria liberioris vitæ licentiam ſecuta eſt; non tamen adeo, ut rupto pudoris freno impudicitiæ ſe daret. Deus autem revocandæ ad ſaniora conſilia mulieri, in poteſtatem Dæmonum, quibus infeſtaretur, illam permiſit. Inter hæc, fama miraculorum Jeſu Chriſti commota, ad ipſum in ædibus Simonis, domui ejuſdem feminæ familiaris, convolavit. Nec mora, a gemino hoſte, crimine nempe, & Dæmone, liberam ſe experta eſt. Itinerum Jeſu Chriſti deinceps comes acceſſit. Aliquanto poſt Chriſtus vicum adivit, cui fortaſſe Lazarus & Martha imperabant (*d*). Ibi

(*a*) De Conſenſu c. 79.

(*b*) Tract. 49. in Joannem.

(*c*) Joſeph. de vita ſua.

(*d*) Luc. x. 38.

Ibi vero Martha de ſorore ſua conqueſta eſt, quod Magiſtri ſequelæ penitus addicta, domeſtica munia parum curaret. Tunc Jeſus conſilium ſuum deſerendi nempe Galilæam prodens, ſororibus & fratri in cauſa fuit, ut in Bethaniam, vicum non longe a Hieruſalem, tranſmigrarent. Cum Lazarus e Galilæa ſeceſſiſſet, idem præſtandi auctor fuit Simoni Phariſæo, qui deinceps, facile ex lepræ morbo, *Leproſus* dictus eſt. Eo ſæpe conveniebat Jeſus, qui locum Lazari reſurrectione inclytum fecit. Nec alibi etiam Maria ſoror Lazari caput & pedes Jeſu Chriſti apud eumdem Simonem Leproſum cœnantis perfudit unguento; quod pium officium erga defunctum ejuſdem Salvatoris corpus iteraſſet, niſi Chriſtus reſurgendo occaſionem abſtuliſſet (*a*). Ceterum quod Maria Magdalena Epheſi non obierit, ex Polycratis Urbis illius Epiſcopi literis apud Euſebium ſervatis infertur. Is enim commemorans magna lumina, quæ in Aſia extincta fuerant, nominat Joannem Evangeliſtam, Philippum Diaconum, & ejus filias. De Magdalena vero ne verbum quidem. Forte aliqua alia Maria Magdalena, quæ Epheſi Martyrium ſubierit, fucum Modeſto fecit. Traditionem de appulſu Maſſiliam S. Mariæ Magdalenæ acceptamus; agente enim Carolo Salerni Principe, anno 1279. Corpus illius in villa, S.Ma ximini dicta, repertum fuit (*b*).

Ne-

(*a*) Matth. xxvi. 12. Marc. xiv. 8. xvi. 1. 2. Joan. xii. 7.

(*b*) Bernard. Guido, Jordan. Ptolom. Lucenſ.

Neceſſarii Jeſu Chriſti ipſum inſaniiſſe dicunt. Signum Jonæ. Variæ parabolæ. Plura miracula. Apoſtolorum Miſſio.

CAP. IV.

Anno Mundi 4031. Chriſti 31. Æræ Vulgaris 27.

Chriſtus ceu inſanus traducitur.

I. POſt emenſam Galilæam iterum Jeſus Capharnaum venit, ibique ingruentibus turbis ita opprimebatur, ut vix cibos capere permitteretur. Quod ut ejus conſanguineis renuntiatum eſt, venerunt Nazaretha, vel ex privatis domibus ejuſdem urbis Capharnai, ipſum inde erepturi, illud interim dictitantes: *In furorem verſus eſt* (*a*). Cnatobullus hæc ad populum torquet: Neceſſarii ſcilicet Jeſu venerunt ut populum coercerent; multitudo enim inſanire dicebatur. Verum ceteri omnes de ipſo Chriſto dictum interpretantur, alii tamen aliter. Quidam enim indicari volunt. *Extra ſe raptus eſt* more Prophetarum. Nonnulli: *Paſſus eſt deliquium*. Ceteri vero & quidem frequentiores: *Inſaniit*. Mirum autem videri non debet, quod ita de Chriſto ipſius neceſſarii ſentirent. An inſueta res eſt, ut ii qui aliter quam ceteri loquuntur, vel agunt, inſaniæ accuſentur? Quod tamen dictum ſit de aliis Chriſti neceſſariis, non autem de Maria, illius parente; quæ licet in ea urbe tunc adeſſet, quid illi pararent ac molirentur, fortaſſe ignorabat.

II.

(*a*) Marc. III. 21.

II. Eodem in loco Dæmoniacum loquela & oculis captum ſanavit. Quo miraculo viſo, ſtatim populus Meſſiam ſuſpicatus: *Numquid*, dicebat, *hic eſt Filius David* (*a*)? Porro eam famam inique ferentes Scribæ & Phariſæi ſpargebant in vulgus, Beelzebub, Dæmonum Principis, ope ſuffultum Jeſum adverſus Dæmones invaleſcere. Veterem hanc calumniam relique- re Rabbini recentiores, novamque confingentes, ajunt, Jeſum, cum in Templum furtim veniſſet, ſurripuiſſe ineffabile propriumque Dei nomen *Jehova*, quod olim Moyſes in prodigioſa ſua virga inſcriptum geſtarat; idemque inter carnem & cutem in femore celaſſe; cujus virtute tanta patraverit, quanta in Evangelio leguntur. Ineptiæ! Sed eſto vera ſint. Ergo Deus nominis ſui vi, Chriſti miſſionem comprobavit. Qui igitur Impoſtorem appellant? Porro Beelzebub erat Accaronitarum Idolum (*b*), de cujus forma & qualitatibus diſceptatur. Tenent nonnulli, genuinam ab Accaronitis datam Numini ſuo appellationem fuiſſe *Beelzebach*, Deus ſacrificiorum, vel *Beel zebaoth*, Deus exercituum; vel *Beel ſamim*, Deus Cælorum; Judæos vero mutatis paulo literis de ridiculo illud traduxiſſe, nuncupantes *Beel zebub*, Deus Muſcarum, vel *Beelzebul*, Deus immunditiæ. Alii id nominis Idolo tributum volunt, quod a muſcis liberaret. Elæi ſane Jovem muſcarum Venatorem colebant

Judæi Chriſtum Dæmonii ope miracula patraſſe mentiuntur. Quidam inter Dæmones ordo.

(*a*) Matth. XII. 23. Marc. III. 22.

(*b*) 4. Reg. 1. 24.

bant (*a*) ; a qua religione non abhorrebant Romani Jovi muſcarum Tutori adolentes (*b*). Sunt tandem qui malunt, Accaronitis Muſcam, ſive Scarabæum, vel hujus inſecti figuram, Deum fuiſſe, non ſecus ac Ægyptiis (*c*). Cur autem Judæi Beelzebub Dæmoniorum Principem appellarent, non ſatis conſtat. Fortaſſe in cauſa fuit affinitas nominum *Accaronis*, ubi colebatur Beel zebub, & *Acherontis*, quem Græci ſedem Plutonis, inferiorum Dæmonum Principis, conſtituunt. Potuit etiam Beel-zebub ludibrii cauſa Princeps Dæmoniorum appellari ; vel quod Judæi Accaronitarum Numen revera Inferorum Principem eſſe cenſerent. Ex tota denique Judæorum argumentatione colligimus, Judæos putaſſe, quoddam ordinis genus inter Dæmones, ita ut minores majoribus pareant, quemadmodum inter Angelos uſu venit ; cui quidem opinioni favet Scriptura, cum Luciferum *tenebrarum, & poteſtatum aeris Principem* appellet (*d*).

Chriſtus calumniã refellit. III. Inimicorum corda pervadens Jeſus, ſecretaſque eorum blaſphemias intelligens, ita refutat. Nequaquam fieri poteſt ut Dæmonum Princeps jubeat minores Dæmones ex occupatis corporibus faceſſere, atque adeo ut ego Dæmones ejiciam Beel-zebub nomine & aucto-

(*a*) Plin. l. 10. c. 29. Solin. c. 1.

(*b*) Clem. Alex. in Protreptico, & Pauſan. in Eliac.

(*c*) Plin. l. 30. c. 11. Plutarch. Sympoſ. l. 4. c. 5.

(*d*) Luc. XXII. 53. Epheſ. II. 1.

ctoritate; cum nullus ſit Princeps, qui e miniſtrorum ſuorum manibus victorias, prædaſque eripiat, foveatque inteſtinas ſeditiones, quibus Regna omnia, omneſque Reſpublicæ ad exitium urgentur. Adjuratores veſtri malæ fidei vos in ſupremo Judicii die condemnabunt; ii enim, vobis non diffitentibus, Dæmones pellunt, nomine Beel-zebubi minime invocato. Iniquum igitur eſt ut ſcelus tam immane uni mihi tribuatis, temere prorſus, nulloque argumento ſuffulti. Alludit Chriſtus ad artem ejiciendi Dæmones quam nonnulli ejus ætatis Judæi profitebantur adjurationum ope, invocato Deo Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, & quarumdam herbarum, ſive radicum odore, naribus energumenorum admoto (*a*). Patres tamen plurimi illa Chriſti verba: *Filii veſtri in quo ejiciunt?* de ipſis Chriſti Apoſtolis interpretantur; quaſi diceret: Si Apoſtoli mei Dæmones pellunt, & meo quidem nomine, non Beel-zebubi: cur me invocati illius Dæmonis nominis damnatis? Minor ne mihi virtus eſt, quam Diſcipulis meis? Porro ſi veris ego prodigiis clareo, ſi Dæmones ejicio Dei Spiritu, quo impleor, profecto Dei Regnum inter vos eſt. Nedum autem nullum fœdus inter me & Dæmonum Principem eſt, ſed & illum in ipſamet ejus arce aggreſſum mihi jam ſubjugavi, abſtulique quidquid habebat pretioſſimum, publicanum, meretricem, alioſ-

(*a*) Joſeph. Antiq. l. apud Calmetum in Matth. 8. c. 2. Vide & Origen. XII. 27.
Tertull. S. Juſtin. S. Iren.

alioſque in vitiis enutritos homines. Qui fieri poteſt ut ſecreto fœdere jungar cum Dæmone, cujus imperium evertere laboro? Qui vero is mihi faveat, cum nihil intentatum relinquat, ut Evangelii progreſſus impediat? Simul ne & mecum erit, & mihi inimicus? Si ea quæ objicitis, me ſolummodo ferirent, aliquis fortaſſe excuſationi & veniæ locus foret. Cum autem in Spiritum ſanctum obloquamini, ipſius virtute patrata prodigia, Diaboli operationi tribuentes, moneo, hæc flagitioſiſſima omnium eſſe, veniaque tum in hoc ſæculo, tum in altero indigniſſima, nec ulla ratione expianda. Quamvis Jeſum eſſe Meſſiam, Deique Filium plura comprobarent, non ita tamen erat manifeſtum, ac prodigia ab eo edita Spiritum ſanctum habere auctorem. Quare nonniſi ex ſumma nequitia Judæi hæc ignorare, aut negare poterant. Hæc autem malitia nullo pacto ſcilicet ægerrime, expianda dicitur, tum ob ipſius gravitatem, tum ob difficillimam hujuſmodi hominum converſionem, quippe qui Spiritum ſanctum irritant, virtutique gratiæ, qua ille mentes eorum illuſtrat, & corda movet, quammaxime reſiſtunt. Aut me bonum eſſe, adjecit Chriſtus, concedite, ſi ſalubria præſto, aut eſse deterrimum, ſi mala; ex fructu enim arbor dignoſcitur. Veneficum me eſse dicitis. Talia ne, qualia ego facio, facturus eſt hujus naturæ homo? Male de me loquimini, quod male animati, invidiæque veneno corrupti in me eſtis, meaſque operatio-
nes;

nes; cor enim ſermone proditur. Si ipſa verba otioſa damnat Deus; quanto ſeverius in vos, qui mendacia & blaſphemias loquimini, animadvertet?

Signum Jonæ Chriſtus pollicetur. Dæmon domum vacuam inhabitat.

IV. Nonnulli ex Scribis & Phariſæis, alii fortaſse ab iis, quos hactenus Chriſtus arguerat, illum tentarunt, prodigium e Cælo poſtulantes (*a*); quos, ceu impurum genus, & ſpurium, atque a majorum fide degeneres Salvator reprehendit, nullumque, dixit, ipſis expectandum ſignum, præter ſignum Jonæ Prophetæ. Tres, ait, dies in ſepulcro agam, quibus elapſis, in vitam reſtituar; quemadmodum Jonas in ventre ceti eodem temporis ſpatio commoratus, deinde incolumis evaſit. Judæi ſignum in Sole, Luna, vel Stellis idcirco fortaſse poſtulabant, quod in Cælum nullum eſse Dæmoni imperium putarent. Verum Chriſtus morem gerere noluit, facile quod ſciret, gloriari Ethnicos, ſe ſe carminibus, Dæmonumque ope ſiſtere Lunam, & Stellas poſse, eaſque tenebris obducere, atque ad nutum morigeras habere (*b*). Reſurrectionis ſignum illis pollicetur, cui repugnare prorſus nequeant. Dæmon mortuos in vitam non revocat; & mortuus homo Dæmoni non imperat. Hoc prodigio & argumento cetera prodigia & argumenta confirmabantur. Denuntiavit deinde Chriſtus, adverſarios ſuos a Ninivitis & a Regina Sabæ in die Judicii arguendos; quod illi Jona prædicante pœnitentiam egerint, hæc vero

(*a*) Matth. XII. 38. Luc. XI. 26.

(*b*) Horat. in Canidiam Epodon, ode 5.

vero audita ſapientiæ Salomonis fama ad illum ex remotiſſimis Terræ partibus venerit; Judæi viciſſim Jeſum Chriſtum, cui & Jonas, & Salomon multo concedebant, audire recuſarent. Propoſuit etiam parabolam Dæmonis, qui ex homine egreſſus, in deſerta loca, ex Judæorum opinione ſecedit; ibique minime inventa, quam quærebat, pace, ſeptem una ſecum aliis nequioribus ſpiritibus aſſumptis, ad priorem habitationem vacuam, ac tempore illius abſentiæ ornatam, regreditur. Judæorum populus Dæmonis, ſive Idololatriæ ſervitutem excuſſerant, cum reliquæ terrarum gentes illi ſubderentur. Priſcas ſedes acerrime, at fruſtra, recuperare nequiſſimus ſpiritus conatus eſt, Antiocho Epiphane in Judæos perſecutionem movente. Cum denique inutilem eſſe vim in eam rem intelligeret, animoſque Judæorum ethnicis ſuperſtitionibus vacuos, divinæque Legis cognitione & virtutum exercitio ornatos inveniſſet, aliorum ſpirituum nequitia & ope adjutus, Judæos ſub pietatis ſpecie, in hypocriſim, ſuperbiam, ſuperſtitionem, ac falſas Legis explicationes impulit: quamobrem male animati, & præjudicatis opinionibus pleni, Jeſum Chriſtum & Evangelium rejecere, iterumque Dæmoni in poteſtatem traditi ſunt, multo ſæviſſimum in illos imperium exercenti, quam antea ſoleret. Hæc parabolæ propoſitum innuere videtur.

Mater & fratres Jeſu illum alloqui quærunt. Variæ parabolæ.

V. Dum Jeſus turbas domi alloqueretur, Mater ejus, & fratres, ſcilicet conſanguinei, foris expectabant, cum ingredi multitudinis cauſa

non

non poſſent, deſiderabantque verba cum illo miſcere (*a*). Hoc cum a quodam Chriſtus intellexiſſet, diſcipulos ſuos manu indicans: En, ait, Mater & Fratres mei; Matris ego & Fratrum loco agnoſco, qui voces meas, Deique auſcultant, exequunturque. Cum antemeridianis horis Chriſtus domi verba feciſſet, pomeridiano demum tempore egreſſus, ad Maris Tiberiadis oram profectus eſt. Ingruentibus autem de more turbis, ne opprimeretur, piſcatoriam cymbam aſcendit, pauloque longius a litore recedens, plures parabolas pro concione narravit (*b*), agrum ſcilicet ſerentis, qui non eumdem ſemper fructum refert; zizaniæ ſive lolii tritico ab hoſte ſuperſeminati; grani ſinapis, & fermenti; quorum alterum quamvis ſit exiguum, ſtirpes tamen ſuas altiſſime provehit; alterum vero in totam farinæ maſſam, cui injicitur, ſuam diffundit virtutem. Porro parabolas iſtas nequaquam exponebat, contentus illa admonitione: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Quare domum ſine turbis remeantem diſcipuli exorarunt, ut ſenſum illarum aperiret, cauſamque ſimul doceret cur omnia parabolarum obſcuritate involveret. Acquievit Jeſus, oſtenditque illorum felicitatem, quibus daretur non audire tantum, ſed & aſſequi pariter intellectu, quæ aliis fuerant inexplorata. Judæos, inquit, parabolis alloquor, ut incredulos meorumque verborum contemptores puniam, eoſque in improbo ipſorum

(*a*) Matth. XII. 46. (*b*) Matth. XIII. 1. Marc. III. 31. Luc. VIII. 18 Marc. IV. 1. Luc. VIII. 4.

rum ſenſu, ſuaque in cæcitate deſtitutam: Ingratæ illorum mentes promeruere ut a me minime illuſtrentur, meque ita agere cum eis cogunt, ut verba audiant, nec intelligant, prodigia videant, nec aſſequantur. Impletum in illis ſpectabitur, quod Iſaias Judæis minitatus eſt, futurum ſcilicet, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, quippe quorum animos pertinacia, oculos cæcitas, & ſurditas aures occupavit (*a*). Semen igitur eſt verbum Dei, a me prædicatum, quod animis exceptum, interdum nullum fructum affert, interdum vero illum affert, varium tamen ut modo ſit centeſimus, modo ſexageſimus, modo triceſimus; cum idem ſit ſemen, at non eadem ubique ſoli præſtantia. Triticum pariter eſt vera doctrina, cui operam do, quamque Fideles, Regnoque Cælorum deſtinati amplectuntur; lolium vero ſive zizania ſunt inſtituta, & errores a Diabolo tradita, atque ab impiis, & ſæculi amatoribus excepta. Numquam non mixtum erit cum tritico lolium in Eccleſia, pii cum impiis, reprobi cum electis, donec in die Judicii illos Angelorum opera ſegreget Deus. Grano ſinapis & fermento Chriſtiana Religio, & Evangelica Prædicatio ſignificantur, quæ cum initio imbecilles, obſcuræ, & minimæ eſſent, illuſtres deinde, ampliſſimæ, & notiſſimæ fuerunt. Prioribus parabolis novas Chriſtus adjecit, Theſauri nimirum in agro reconditi, cujus potiundi cauſa mercator omnia diſtrahit, ut agrum il-

(*a*) Iſai. VI. 9.

illum emat; Margaritæ omnium pariter bonorum pretio emptæ; & Sagenæ, in quam cujuſcumque generis piſces congregantur, boni ſcilicet & mali, qui tandem, bonis retentis, rejiciuntur. Porro Theſaurus & Margarita ſunt Evangelii doctrina, & cæleſte Regnum, quibus comparandis omnia, ſi opus fuerit, dimittere debes. Boni autem malique piſces ſagena clauſi, bonos maloſque Chriſtianos in Eccleſia collectos ſignificant, qui tandem adinvicem ſeparabuntur. Attulit demum parabolam Patris familias, qui ex penu ſuo *vetera* & *nova*, rerum ſcilicet omnium copiam, producit, ut domeſticorum neceſſitatibus provideat; quem æmulabunt Eccleſiæ Doctores, ſi ingentem cognitionum copiam colligentes tum veterum, tum novarum; tum quæ ad ſacra, tum quæ ad prophana pertinent, eas auditoribus ſuis, prout opportunum erit, explicabunt. Quamvis autem Chriſtus ſæpe parabolarum ambagibus uteretur, præſertim cum de Regni ſui myſteriis, & Eccleſiæ inſtitutione ageret; cum tamen de moribus informandis agendum eſſet, verba ſua omnium captui attemperabat, uti compertum eſt ex ſermone in monte ad turbas habito.

VI. Veſpere ejus diei imperavit diſcipulis, navim ſibi pararent, mare ſive lacum Geneſareth trajecturo. Tunc quidam Legis peritus ipſum oravit, ut ſe nomen inter diſcipulos illius dare permitteret, cum ſibi id eſſet propoſiti, ut illum ſequeretur, quocumque ire collibuiſſet. Cui Jeſus: *Vulpes foveas habent, &* *Legiſperitus Jeſum ſequi deſiderat.*

volucres Cæli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (*a*). His verbis evertit Chriſtus omnia, quæ vel ambitio, vel cupiditas, vel curioſitas ſcribæ vel Legis perito illi ſuaſerant; rari enim ſunt qui putent, bona illum fide inter Chriſti Diſcipulos numerari voluiſſe. Rogavit alius quidam, ut antequam ipſi ſe ſe totum addiceret, liceret ſibi parentem ſuum jam mortuum, vel morti jam proximum (*b*) ſepulturæ mandare. Ad quæ Jeſus: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*; id eſt, ſine ut viventes in mundo ceteris ſui ſimilibus ea præſtent, quæ ab humanitate imperantur. Tu ad ſublimiora vocaris.

Tempeſtas in mari ſedatur, & gemini Dæmoniaci curantur.

VII. Cum naviculam aſcendiſſet Jeſus ſubeunte nocte, ſomno ſe ſe permiſit, ſtatimque exorta tempeſtas in ultimas anguſtias nautas adduxit (*c*). Tunc Diſcipuli illum e ſomno excitarunt; experrectuſque primum nimii illos timoris, exiliſque fidei increpavit; ventos deinde & mare, non ſine adſtantium omnium admiratione & terrore, ſolo vocis imperio compeſcuit. Ad orientalem plagam illius maris in Geraſenorum finibus cum appuliſſet, duos dæmoniacos obvios habuit, quorum alter nudus incedens, in ſepulcris, & montibus excavatis verſabatur, eratque violentus adeo, ut ne funibus quidem & catenis poſſet coerceri. Procurrerunt miſeri illi ad Jeſum, ingentique

(*a*) Matth. VIII. 18. tianay.

(*b*) Lyran. Brugenſ. Mariana, le Clerc, Mar-

(*c*) Matth. VIII. 23. Marc. IV. 36. Luc. VIII. 23.

tique clamore, qui ſæviſſimus erat, ſublato, conquerens: Quid, ait, nos perſequeris, Fili Dei, pelliſque tibi minime noxios; quidve veniſti huc ante tempus torquere nos? Deinde rogare cœpit, ne ab homine depulſus in abyſſum, ſive tartarum dejiceretur, ſed permitteret ut in porcorum gregem, per vicinos montes paſcentes, tranſmigrarent. Interrogavit Jeſus virum, quo appellaretur nomine. *Legio*, reſpondit; quod ſcilicet magno ibi Dæmones verſarentur numero. Tunc Jeſus, Dæmonibus actutum inde faceſſerent, præcepit, indulgens tamen, ut in porcos inſilirent. Nec mora; ſuibus ad duo millia magno impetu actis, præcipiteſque ſe ſe in mare dedentibus, dæmoniaci illi ſtatim convaluerunt.

Dæmones modo etiam igne torquentur. Veræ Dęmonum obſeſſiones.

VIII. Hiſtoriam hanc, & præſertim verba illa: *Quid veniſti ante tempus torquere nos* (*a*)? viri quidam docta mente verſantes, autumarunt, Dæmones aliqua in Terra potiri requie, & tanquam malorum ſummam habere, ſi in Infernum detrudantur. Veterum Patrum ſane multi docuerunt, mœrore nunc quidem & dolore pro ſententia atque damnatione certo futura illos diſcruciari, ignem tamen poſt diem tantum Judicii experturos: quo revocant illam Jeſu Chriſti in impios ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus* (*b*). Ignis, inquiunt, paratus quidem eſt Diabolo, ſed nondum illos

 ex-

(*a*) Matth. VIII. 29. & Petavium de Angelis
(*b*) Matth. XXV. 41. l. 3. c. 4. ar. 18.
Vide Maldonatum hic,

excruciat. Communis tamen Eccleſiæ opinio fert, Dæmones jam inde ab eorum lapſu numquam ignis ſupplicio non torqueri. Queruntur autem ſe ſe in abyſſum *ante tempus* detrudi, quod crederent, Dominum veniſſe ſpe citius, vel ante ſupremum Judicii diem, illis judicandis, eaque lege Inferno addicendis, ut non amplius in Terris homines torquere & tentare poſſent; quod illis aliquid levaminis afferre ſolet. Calmetus ſuſpicatur, Jeſum, & dæmoniacum verbis ſuis ad quamdam Phariſæorum opinionem alluſiſſe; quam tradit Joſephus docens, Dæmones, quibus corpora obſidentur, ipſas eſſe impiorum animas (*a*). His autem nil gravius timendum erat, quam ut e corporibus pulſæ in Infernum detruderentur, ubi æternum ignis ſupplicium ſe ſe manere intelligebant. Hinc illarum formido & queſtus, preceſque ne in abyſſum mittantur, ſed potius in porcorum gregem, ut ignis ſupplicium quanto longius arceant. Verum hæc ſententia ſingularis erat, & forte uni tantum Joſepho placuit; vulgo enim Judæi reliqui conveniebant, energumenos a Dæmonibus poſſideri, vel obſideri, ut ex pluribus Scripturæ locis oſtenditur. Eſt & tertia opinio, illorum ſcilicet, qui Philoſophia utuntur, ut prodigiorum vim aut eludant, aut extenuent. Nullo, inquiunt, Dæmone vir ille, de quo loquimur, occupabatur; ſed illius turbata mens legionem Dæmonum intus agentium exhibebat;

(*a*) Joſeph. de Bello VIII. 29. l.7. c.25. Calm. in Matth.

bat; cumque fervido nimis eſſet ſanguine, nec ei deeſſet notitia de pœnis, quibus Dæmones in Inferno torquentur, ea faciebat, dicebatque, quæ Dæmonibus congruere ferebantur. Quid autem Jeſus ad reddendam ægroto ſanitatem? Principio cavet, ne concepto errori contradicat. Poſtulanti deinde, ut ſi legionem Dæmonum expellere velit, in porcos ire permittat, omnia conceſſit. Quo tandem menti hypocondriaci altius imprimeretur, ſe recuperaſſe ſanitatem, nec amplius ſibi ab illis Dæmonibus quid incommodi timendum, diſpoſuit, ut ſues ſe ſe præcipites in mare dederent, ac ſi revera a Dæmonibus agerentur; quo ſimul tempore Chriſtus fortaſſis ſanguinis fervorem compreſſit, reddita etiam cerebro, ceteriſque humoribus pace. Prodigium hic certe agnoſcitur; at non in pellendo Dæmone. Hæc illi, qua philoſophandi ratione, nullum eſſe dæmoniacum oſtendere nituntur. At ſi res ita ſe ſe haberet, Jeſus Chriſtus, Apoſtoli, & Eccleſia verſarentur in errore, vel ſaltem in errorem nos inducerent, id agentes, loquentes, & precantes, veluti ſi revera agi homines a Dæmonibus perſuaderentur. Idem tenet Patrum, Judæorum, Prophanorum, Veterum & Recentiorum ſententia. Tantæ auctoritati quis repugnet? Obvio patentique Scripturæ & Traditionis ſenſui fucata Philoſophorum meditamenta obſiſtent? Actum eſt de Fide, ſi audacioribus ingeniis morem geramus. At Chriſtus ægroto illi, juxta propriam ipſius ſententiam loquenti, potuit annuere,

vel ſaltem diſſimulare, cum aliis quoque occaſionibus vulgares ad ſententias in verbis ſuis alluſerit, quas utpote Religioni non pernicioſas refellere neglexit (*a*). Dictum tenemus; ſed quæ interdum Chriſtus ſubobſcure dixit, alibi clarius explicavit; quod in præſenti controverſia factum pariter fuiſſe, nemo ſibi probandum ſumeret (*b*).

Filia Jairi vitæ reſtituitur, & Hæmorrhoiſſa ſanatur.

IX. Veriti Geraſeni, ne Chriſtus ægros & a Dæmone actos liberare pergeret, porcorum diſpendio, illum rogavere, ut ex ea regione quantocyus diſcederet. Maritimum ad Capharnaum iter initurum Jeſum dæmoniacus ille, qui malorum ſpirituum legione liberatus fuerat, conveniens, petiit, ut ſocium ſe & diſcipulum exciperet. Renuit Jeſus, juſſitque ad propria reverſus, beneficium a ſe acceptum palam omnibus panderet (*c*). Mare igitur rurſum trajecto, Jairum, Synagogæ, quæ erat Capharnai, Principem, in litore offendit. Ad Chriſti pedes provolutus dixit, filiam ſuam unicam & duodennem agere animam, orare proinde ſe ut ſtatim domum veniret, incolumem redditurus (*d*). Secutus virum Jeſus, tanta hominum multitudine premebatur, ut vix progredi poſſet. Dum ille tranſiret, femina quædam, quæ ſanguinis profluvio duodecim annorum ſpatio affecta, omnes ſuas fortu-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. infra n. 12. & l. 12. c. 4. n. 9.

(*b*) Vide Calm. diſſert. de hoc argum.

(*c*) Marc. v. 18. Luc. VIII. 38.

(*d*) Marc. v. 21. Luc. VIII. 41.

tunas in Medicorum operam nequidquam prodegerat, ea ſpe erecta eſt, ut ſolo veſtimentorum Chriſti attactu ſanari poſſet (*a*). Cum autem morbi cauſa a ceterorum conſuetudine excluderetur, & coram fateri morbum erubeſceret, clam & retro accedens, fimbrias, quas circa pallium gerebat Chriſtus, tetigit, ſtatimque ſe incolumitati reſtitutam ſenſit. Ore ille converſo quæſivit, quis ſe ſe tetigiſset? Cui Diſcipuli: Turbæ te comprimunt; & quæris: quis te tetigit? Tum ille: Virtutem ex me exiiſse, ſenſi. Quare mulier ceu furti rea, tremens in conſpectum populi prodiit, procidenſque ad pedes Jeſu, quæ cauſa ad Salvatorem ipſam impulerat, ſanitatemque ex eo acceptam aperuit. Chriſtus vero, qui fidei ipſius palam faciendæ ea omnia egerat, mulierem confirmavit, ejuſque fidem coram omnibus commendavit. Auctor quidam, ſub S. Ambroſii nomine latens, hanc mulierem S. Martham, Lazari & Mariæ ſororem arbitratur (*b*). Joannes Malala & Codinus Veronicam præferunt. At Euſebius Ethnicam fuiſse mulierem, in urbe Paneades, ad fontes Jordanis, ortam, eamque, pulſo morbo, æneum Jeſu Chriſti ſimulacrum erexiſse beneficii monumentum, teſtatur. Simulacrum vidit ipſemet Euſebius, cujus ad pedes proveniebat herba, quæ ubi ſponte creſcens ſimulacri fimbriam tetigiſset, præſens erat adverſus morbos

(*a*) Matth. IX. 20. Marc. V. 25. Luc. VIII. 43.

(*b*) Serm. 47. in Append. nov. Edit. S. Ambroſ. olim Libell. de Salom. c. 5.

bos remedium (*a*). Porro mulier illa hæmorrhagia, & ſanguinis fluxu, vel, ut alii volunt, hæmorrhoidum morbo laborabat. Sunt qui de aſſiduo atque inordinato menſtruorum fluxu interpretentur; quod vero ſimillimum eſt. Dum Hæmorrhoiſſa ſanatur, nuntiatum eſt Jairo, filiam ſuam expiraſse; quamobrem ne moleſtiam Jeſu faceret, ut domum veniret. Sed Jairus orare pergebat, ut puellam mox defunctam incolumem reſtitueret: cujus fidem confirmans Jeſus: crede, dicebat, neve te moveant, quæ audiſti. Ad domum cum veniſset, turbam mulierum lamentantium, & tibicinum, ad funeris cæremoniam paratam, offendit, quibus ait: Abite hinc: *non eſt enim mortua puella, ſed dormit*; hoc eſt, mox vivet, quaſi e ſomno excitata. Cum vero hæc illi minime intelligerent, perſpectumque haberent, puellam obiiſse, ipſum deridebant. Sed Jeſus pulſis omnibus patrem matremque puellæ teſtes ſolummodo adhibuit, ac tres Apoſtolos, Petrum, Jacobum, & Joannem: cum quibus cubiculum, in quo puella jacebat, ingreſsus, apprehenſaque illius manu, ut ſe e ſomno excitaret, elata voce præcepit. Paruit illa, ſurgenſque e lecto ambulare cœpit. Cibos tunc ad puellam afferri juſſit Jeſus, ut illam nedum revocatam eſse in vitam, ſed etiam incolumitati reſtitutam omnes intelligerent. Præcepit tamen ſimul, ne cui prodigium narrarent; ſed tam illuſtris miraculi fama univerſam late regionem implevit.

X.

(*b*) Euſeb.Hiſt. Eccl. l.7. c. 18. Sozomen. l. 5.c.21.

X. Egreſſum e domo Jairi Jeſum, ut Nazaretham verſus iter haberet, duo cæci proſecuti, ut valetudini reſtituerentur, rogantes, inclamabant: *Miſerere noſtri, Fili David*. His profecto inſinuatur, cæcos loco Meſſiæ Jeſum habuiſſe; eo enim nomine Judæi ejus ætatis Meſſiam deſignabant. Jeſus, num crederent, ſibi virtutem eſſe morbum illum curandi, interrogavit, affirmanteſque manu ſua tetigit; nec mora, valetudo ſecuta eſt. Jubenti vero ne rem proderent, parere recuſarunt, longe lateque famam prodigii evulgantes. Secundum hæc, dæmoniacus quidam, loquendi facultate privatus, a Chriſto valere juſſus, anſam præbuit turbis Salvatoris virtutem admirandi, laudandique, Phariſæis vero iterum obtrectandi, accepta a Beel-zebub virtute illum miracula patrare (*a*).

Duo cæci, & dæmoniacus ſanantur.

XI. Ingreſſus in Synagogam Nazarethæ pro concione populos ita allocutus eſt, ut omnes obſtupeſcerent, invidiſque interrogationibus invicem ſciſcitarentur: Unde tanta ſapientia, tantaque patrandorum prodigiorum poteſtas? Nonne faber eſt, & fabri filius? Nonne ipſius matrem Mariam, fratreſque, Jacobum, Joſephum, Simonem, & Judam, ſororeſque omnes noſcimus? Unde hæc omnia, quæ ex inſtitutione, & exercitio habere non potuit? Colligendum ſane erat, ſapientiam virtutemque miraculorum ex dono Dei eſſe, ipſum vero Jeſum eſſe Prophetam & Meſſiam. At contra *ſcandalizabantur in eo*, quaſi id præſtigiis, Dæ-

Jeſus in Synagoga Nazarethæ.

(*a*) Marc. VI. 1. Matth. IX. 27.

Dæmoniorumque artibus tribuendum eſſet. Jeſus autem dixit illis, neminem e Prophetis in patria ſua probari; curatiſque paucis tantum ægris, quod multos illi non exhibuerit civium Nazarethæ incredulitas, urbem, numquam regreſſurus, dimiſit; diſcurritque deinde per univerſam Galilæam, ubique prædicationum ſuarum, & prodigiorum monumenta relinquens (*a*).

Apoſtoli ad Fidem nuntiandam mittuntur.

XII. Cum ſtudio verbi Dei audiendi teneri populos Jeſus intelligeret, miſericordia motus, decrevit Apoſtolos ad illos mittere, felix Evangelii nuntium, & a morbis ſimul incolumitatem allaturos. Accitis igitur illis ad ſe ſignificavit, uberem quidem meſſem ſuppetere, ea autem laborari meſſorum paucitate, ut, quo novos etiam atque etiam mitteret, Dominus meſſis enixe eſſet rogandus. Quare illos pellendi Dæmones, morboſque curandi poteſtate præditos in univerſam Judæorum regionem miſit, mandatis oneratos, ut annuntiarent Adventum Regni Cælorum (*b*). Porro Regni Cælorum nomine plura intelliguntur. I. Ortus, prædicatio, & manifeſtatio Meſſiæ; II. Vindicta Dei in Judæos pervicaces, per Romanos infligenda; III. Æterna Beatitudo; IV. Vocatio Gentium, excluſis Judæis; V. Prædicatio Evangelii, & Eccleſiæ inſtitutio; VI. Imperium in animos menteſque hominum a Chriſto obtinendum; VII. Suprema Judicii dies. Meſſiam præſtolabantur Judæi ceu Regem,

(*a*) Matth. XIII. 54. Marc. VI. 1.

(*b*) Matth. IX. 37 X. 1. 17. Marc. VI. 7.

gem, Iſraelitici Imperii reſtauratorem, cujus nutibus Terra omnis eſſet obtemperatura. Porro Jeſus, ut præjudicatis illorum opinionibus morem gereret, illæſa tamen veritate, inſtituendi mox a ſe Regni meminit, Regnumque Cælorum promittit; quos tamen ſimul docuit, ſuum ipſius Regnum ex hoc Mundo non eſſe (*a*).

XIII. Ea occaſione pluribus monitis Apoſtolos Chriſtus inſtruxit. Præcepit igitur ne ſecum ferrent arma, non veſtes mutatorias, non gemina ſandaliorum paria, non pecuniam, non peram, aut aliquid commeatus, cum Deus illis eſſet conſulturus vel ſua ipſius virtute, vel aliorum animos movendo, ut quibus opus eſſet, illis ſuppeditarent. Vetavit etiam, ne Regni Cæleſtis arcana proderent Gentilibus, & Samaritanis, ſed proficiſcerentur ad errantes Iſraelis oves, eaſque in rectum iter reducerent. Id fortaſſe cavit prudens Magiſter, ne invidiæ cauſa daretur Judæis, neve illi irritarentur, ubi ſalutis verba ad hoſtes ferri, & cum iis communicari vidiſſent. Ad hæc, æterno Dei conſilio, Evangelium tunc denique Ethnicis prædicandum erat, ubi illud reſpuiſſent Judæi. Hos primo quærens Jeſus, oſtenſurus illis erat, ſe verum eſſe Meſſiam ſalutis ipſorum comparandæ gratia miſſum. Edixit præterea Jeſus ut beneficia, quibus a Deo gratis cumulati fuiſſent, gratis pariter in alios diffunderent; digniſſimorum, religioſiſſimorumque domos adirent, ibi-

Monita Apoſtolis data.

(*a*) Jo. XVIII. 36.

ibique non diſsultorio modo ex una in aliam difluentes, quamdiu in loco moratentur, conſiderent, appoſitiſque dapibus uterentur. Ubi aliquam domum ingreſſi fuiſsent, nulla præfatione, ſtatim bona omnia omnibus familiaribus precarentur vulgari illa formula: *Pax vobis*; ſive *Pax huic domui*: exquiſitiori præfatione opus non eſse, ut hilari animo excipiantur, & cum fructu audiantur ab iis, qui in id a Deo electi fuerint. Secus ſi accidiſset, animo ne conciderent; cum Pater cæleſtis, qui hominum facta non ex eventu, ſed ex animo & voluntate metitur, præmium nihilominus illis eſset largiturus. Excuterent vel ipſum pulverem e calceis adverſus illos, a quibus e loco quopiam prohibiti fuiſsent, egreſſique ab eis, quos major pœna manet, quam Sodomorum & Gomorrhæorum cives, alio diverterent. Excuſſio illa pulveris hæc facile innuebat: Fruſtra pro veſtra ſalute laboravimus, atque ingens & moleſtum iter ſuſcepimus: teſtis eſt pulvis calceis inhærens: hunc ſuper vos excutimus, teſtem ſuprema Judicii die exitio veſtro futurum.

Quomodo calamitates perferendæ? XIV. Venturas Apoſtolis calamitates prædicens: Vos, ait, ovibus ſimiles in medio luporum futuri eſtis; quos propterea inſtructos eſse oportet ſerpentis prudentia, & columbæ ſimplicitate. Si quis igitur vos odiis & injuriis exagitet, conſtanter ferte, nulla indignatione, dolo, nequitia, vindicta, inſtar columbæ. Cavete autem ne columbam in eo imitemini quod conſilio caret, ſeque ſuoſque

pul-

pullos aucupi permittit. Serpentis artibus utendum eſt, ut perſecutionem vitetis. Coram Judæis Ethniciſque producendi eſtis, cædendique, Evangelii meorumque dogmatum aſſertores, in quos Judicii die teſtimonium feratis. Nolo vos nimium ſolicitos eſse, ut ad ipſorum interrogationes apte reſpondeatis. Quod veſtrum eſt, ne negligatis; cetera Spiritui ſancto, qui in vobis loquetur, permittite. Omnia in vos adeo movebuntur, ut fratrem frater, pater filium, filius patrem prodat, urgeatque ad mortem, unius dumtaxat rei cauſa, quod ſcilicet meam doctrinam, meique nominis honorem tuemini. Numquam hoſtibus cedendum, ut victoriam, ſalutem, præmium reportetis. Permitto tamen, quin & jubeo, ut imminente perſecutione veſtræ incolumitati conſulatis ex una civitate in aliam atque aliam fugientes, quo gloriæ meæ melius ſerviatis, & perſecutoribus male agendi opportunitatem ſubducatis. Judæi omnium maxime vobis repugnabunt; id autem vos non terreat, quia *non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius Hominis* (*a*), hoc eſt: Antequam omnes Judææ urbes prædicando peragraveritis, veniam ipſe, meamque indignationem in incredulos exeram. Sua dictis fides; nam excitato Romanorum bello Chriſtus vindictam in Judæos exercuit, anno circiter 40. ab ipſius morte, cum ſcilicet plures illius Diſcipuli adhuc ſuperſtites eſſent. Alii ita explicant: Nondum abſolutum a vobis erit per omnes Judææ urbes

(*a*) Matth. x. 23.

urbes iter, cum ad vos venero, & quæ inceperitis, abſolvam (*a*). En tertia interpretatio: Antequam Judæi omnes ad Evangelium convertantur, adfuturus eſt Filius Hominis, ut ſupremum judicium exerceat. Judæorum converſio futura quidem eſt (*b*); at maxime ſera & difficilis, cum ſcilicet ad finem Mundus properabit.

Alia Chriſti monita. XV. Meliori conditione, ſequitur Chriſtus, non eſt ſervus, quam dominus: quare ſi me Judæi odiis, injuriiſque exagitarunt, ſi me Beelzebub, diabolum, atque a Dæmone actum appellavere, mitiora ex iis expectanda vobis non ſunt. Inimicorum minas, peſſimamque voluntatem ne timeatis: patebunt denique illorum calumniæ, fraudeſque, ac mala conſilia fruſtrabuntur. Quædam non numquam vos docui abſentibus turbis; vos autem palam prædicate, conſtantiſſime, nulloque metu. Inimicis veſtris in corpus ſævire datum, minime vero in animam; ille jure timendus qui utrumque igni inextinguibili addicere poteſt. Cum autem vos illius cauſa laboretis, nihil vobis metuendum eſt ex hoſtium injuriis. Fieri ne poteſt, ut hoſtium furori vos deſerat is qui vel minimarum avium ſaluti conſulit, numerumque capillorum veſtrorum tenet? Qui meum Evangelium profeſſus fuerit, huic ego patronus futurus ſum coram Patre meo; quem vero nominis mei puduerit, illum ego rejiciam viciſſim, & coram Patre non agnoſcam.

(*a*) Luc. x. 1.

(*b*) *Omnis Iſrael ſalvus fiet.* Rom. xi. 26. Calm. hic.

ſcam. Cum prædico Evangelium, bellum prædico, quo privatæ etiam familiæ inteſtinis diſſidiis ſcindentur. Perfidiam a domeſticis, odium & perſecutiones ab amicis experiemini. Qui me parentibus filiiſque non præfert, quive ſua onuſtus cruce mihi, crucem pariter bajulanti, non adhæret, hunc ab amicorum numero expungo. Si temporalem vitam & quietem tueris, fidei, veritatis, ac debitæ Deo fidelitatis diſpendio, æternam in mortem laberis æternamque calamitatem: manentem viciſſim vitam conſequeris, ſi fluxam amiſeris. Quamvis autem multi erunt, qui vos male exceperint non deerunt tamen qui vobis opem ferant, uti meis, ac mei cauſa: quos eadem merces præmiumque manet, ac ſi me ipſum cæleſtemque Patrem excepiſſent. Si autem aliqui ita vos foverint, uti Prophetas, viroſque ſanctos, non vero uti meos Diſcipulos, quod nondum mei notitiam habuerint, non deerit tamen merces par dignitati hominum, quos ſe excepiſſe rati fuerint, optimæque illorum voluntati. Inopiam ne cauſent: ſi ea laborant anguſtia, ut nec hoſpitium, nec ſtipem, nec calidam poſſint exhibere, frigidam ſaltem largiantur; id enim ſatis erit, ut mercede non careant. Hiſce Apoſtoli inſtructi a Chriſto præceptis, regionem undique diſcurrerunt, prædicationibus ubique ſuis, & prodigiorum gloria clareſcentes. Sequebatur autem, eorum veluti relegens veſtigia, Jeſus, ad eas urbes diſcurrens, quas illi antea percurrerant.

Joannes Baptiſta neci traditur. Quid Herodes de Jeſu ſuſpicatus fuerit. Chriſtus quinque hominum millia paſcit. Petrus ſuper aquas. Chriſtus ſe panem dicens, Euchariſtiam promittit.

CAP. V.

ANNO MUNDI 4032. Chriſti 32. Æræ Vulgaris 28.

S. Jo. Baptiſta necatur.

I. INterim Herodias verita ne Joannes Baptiſta, ſuæ impudicitiæ impavidus caſtigator, ab Herode tandem aliquando dimitteretur e carcere, occaſionem, qua illi mortem inferret, aucupabatur (*a*). Cum itaque nativitatis ſuæ die recurrente, hilari convivio Herodes excepiſſet amicos, Salome ipſius Herodiadis ex Philippo legitimo conjuge filia, Aulam ingreſſa, ſcita ſaltatione Regis & convivarum oculos adeo cepit, ut Herodes, quid quid poſtulaſſet, etiamſi Regni ſui dimidium, ſe ei daturum, jurejurando pollicitus fuerit. Quare illa de matris conſilio Joannis caput in diſco, quem manu tenebat, efflagitantem, Rex Præcurſorem, dolens licet & invitus, ne violati juris jurandi reus haberetur, necari juſſit; cujus caput cum filia detuliſſet ad matrem, mater impia linguam ejus crinali acu dicitur perfodiſſe. Hæc geſta ſunt in arce Machæruntis, trans Jordanem, prope locum ubi amnis in Mare mortuum influit (*b*). Audita Magiſtri morte, obtruncatum cadaver Diſcipu-

li

(*a*) Matth. XIV. I. Marc. VI. 14. Luc. IX. 7. l. 3. c. 11. Joſeph. Antiq. l. 18. c. 7.

(*b*) Hieron. in Rufin.

li ſepulcro condidere, remque, uti geſta erat, Jeſu Chriſto nuntiarunt. Quo loco conditum fuerit Joannis Baptiſtæ corpus, ignoratur. Sunt qui Sebaſte, alio nomine Samariæ, ſepultum arbitrentur. At ſimultas, quæ tunc temporis Judæos inter & Samaritanos erat, id abſque optimæ fidei teſtibus credibile eſſe non patitur. Neque ſatis argumenti eſt, quod ſacra ipſius lypſana quarto Eccleſiæ ſæculo ibi culta fuerint; fortaſſe enim eo delata fuere vel ipſo Romani in Judæos belli tempore, vel eo abſoluto. Ibi igitur aperto illius ſepulcro, Juliano Apoſtata imperante, ejus oſſa pleraque flammis fuere abſumpta; quod reliqui erat, ad Abbatem quemdam Hieroſolymitanum, Philippum nomine, delatum eſt (*a*). His denique reliquiis ab eodem Philippo S. Athanaſius donatus, in quodam muro, donec aptiori loco conderentur, eas locavit; quas deinde Theodoſius in Templo, quod eodem in loco ubi Serapidis delubrum everterat (*b*), S. Joanni Baptiſtæ magnifice condiderat, inferendas curavit. Priſtinum tamen Samariæ tumulum populorum ſemper frequentia venerationi habuit; eumdemque etiam Deus plurimis extulit miraculis (*c*). Templum S. Joannis Baptiſtæ Damaſcenum celebre eſt religione non Chriſtianorum tantum, ſed & Turcarum & Zabæorum, a quibus excitatum fertur; quorum etiam opera ſuſpenſum e tholo caput Præcurſoris ſervatum dicitur. Æ-

(*a*) Theodoret. Hiſtor. Eccl. l. 3. c. 3. & Chron. Alex.

(*b*) Rufin. Hiſtor. c. 27. Theophan. p. 64.

(*c*) Hieron. epiſt. 17.

Digitized by Google

des illa modo in Moſcheam transformata eſt (*a*). De Reliquiarum, & maxime Capitis S. Præcurſoris, quod Romæ veneramur, translationibus, alii Scriptores ſunt adeundi.

Rei mortis Joannis pœnas luunt.

II. Cladem exercitus Herodis per Aretam Arabum Regem tribuerunt Judæi cædi Joannis Baptiſtæ (*b*). Aliquot annis poſt, cum Herodias virum ſuum merum eſſe Tetrarcham ægre ferret, quando Agrippa ſuus ipſius frater Rex appellaretur, auctor illi fuit, ut Romam proficiſceretur, quo & illa perrexit, ut regium nomen a Cajo Imperatore impetraret. At nedum poſtulata rejecit Cajus, verum etiam Tetrarchia ſpoliatum exulare juſſit Lugduni (*c*). Herodiadem, Agrippæ fratris gratia, ornare volebat Imperator; at illa virum exulem ſequi inter ærumnas maluit, quam fratris fortunæ quicquam debere. Miſerrimo mortis genere Salomen etiam periiſſe tradunt nonnulli Scriptores (*d*). Hæc, inquiunt, patrem & matrem in Galliam ſecuta fuerat; cum vero juſſu Imperatoris in Hiſpaniam ipſis tranſmigrandum eſſet, concretas gelu aquas Salome pertranſiens, fracta ſub pedibus glacie ad collum uſque demerſa eſt; eaque iterum coeunte, evulſum eſt a reliquo corpore caput; illaque aliud plane choreæ genus egit, quam quo Herodi placuerat. Hæc tamen vix cum iis conciliarentur, quæ refert Joſephus, Salomen ſcilicet Philippo patruo ſuo

nu-

(*a*) Vide Biblioth. Orient.

(*b*) Joſeph. Antiq. l. 18. c. 7.

(*c*) Idem. l. 18. c. 9.

(*d*) Nicephor. l. 1. c. 20. Hiſtor. Ec. l. & Metaphr.

nuptum traditam, cum ex eo liberos non tuliſſet, nupſiſſe deinde Ariſtobulo, ſuo ipſius conſobrino, filio Herodis Regis Chalcidis, cui Herodi frater erat Agrippa, Herodias vero ſoror; ex quo liberos plures procreavit. (*a*). De morte Salomes nihil apud Joſephum invenias.

Chriſtus nonnullas urbes arguit. Apoſtoli e miſſione ſua redeunt.

III. Interim Jeſus decurrebat regionem, miraculorum ſuorum ubique, in urbibus potiſſimum ad mare Tiberiadis, veſtigia relinquens; quare illarum incredulitatem pluribus redarguit exprobrans futurum, ut, ſi Tyriis & Sidoniis Sodomitiſque ea affulſiſſent prodigia, quæ incolis Bethſaidæ, Corozaim, & Capharnai, diu antea rectum virtutis & pœnitentiæ tramitem tenuiſſent. Durius proinde acerbiuſque illos manere judicium, quam alios, qui validiſſima hæc gratiæ adminicula, cum non habuerint, non ſpreverunt (*b*). Munere ſuo functi Apoſtoli, ad Jeſum redierunt, certiorem de omnibus illum facturi. Læti narrabant, ſe adeo miraculorum gloria coruſcaſſe, ut & ipſos quoque malos ſpiritus ſuo imperio habuerint morigeros. Quibus auditis Patri ſuo gratias egit Jeſus quam maximas, quod evangelica dogmata non prudentibus & ſapientibus hujus Mundi, ſed Apoſtolis, rudibus hominibus, ſcientiarum ignaris, revelavit. Pater, adjecit, omnium ſcientiam mihi oſtendit; myſteriorum vero maximum atque obſcuriſſimum eſt Patris & Filii cognitio: quam nemo niſi per me habere poteſt. Quamobrem accedite, qui Patrem & Cæleſtia noſſe cupitis, ſine ullo veſtro labore a me inſtruen-

N 3 di

(*a*) Joſeph. ibid. (*b*) Matth. XI. 20.

di. Pro Legis jugo Evangelium accipite, quod altero ſane levius eſt ac ſuavius. Hoc autem cum primis præcipio, ut lenitatem meam humilitatemque, qua unicus ad quietem & felicitatem patet aditus, imitemini (*a*).

Herodes putat, Joannem in Chriſto revixiſſe.

IV. Prodigiorum Chriſti fama ad aures Herodis Antipæ perlata, hæſit incertus de iis, quæ apud populum ferebantur, cum Jeſum alii Eliam redivivum crederent, alii Joannem Baptiſtam, alii quemdam ex antiquis Prophetis. In Joannem nihilominus inclinabat Rex, deputabatque illius animæ miraculorum gloriam, quæ in Chriſto micabat (*b*). Quamobrem ipſum videre in votis maxime habebat. Celeberrimi Hebræorum Doctores animorum tranſmigrationem defendunt, contendentes, Pythagoram, Platonem, Virgilium, ceteroſque veteres Sapientes id a Prophetis accepiſſe. Quo detorquent illud Jobi: *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos* (*c*); veluti his inſinuaretur multiplex animarum in corpora reditus; cum tamen exprimatur, Deum a diſcrimine caros ſibi homines iteratis vicibus, ſive non una ratione, liberare. Porro duplex tranſmigrationis genus apud Judæos reperire licet. Primo, cum anima corpori ſuo jam ſpiritu vivificato ſupervenit, ut illum ſibi comparet perfectionis gradum, cui adhuc defuit, vel ut adjumento ſit priori animæ implendis operibus, quæ Deus repoſcit. Hanc revolutionem præ oculis habebat

(*a*) Matth. XI. 25. Marc. Luc. IX. 7. Marc. VI. 14. VI. 30. Luc. IX. 10. (*c*) Job XXXIII. 29.
(*b*) Matth. XIV. 1.

bat Herodes. Altera revolutio illa eſt, cum anima remeat in corpus recens formatum, nulloque adhuc ſpiritu vivificatum. Hunc errorem in captivitate Babylonica, vel poſt ipſam ex commercio cum Ethnicis Judæos ſibi adoptaſſe, crederemus, quo ipſimet Joſephus, & Philo infecti fuere (*a*).

Jeſus quinque millia hominum paſcit.

V. Cum audiſſet Jeſus ea quæ de ſe ab Herode cogitabantur, cumque affluentibus undique turbis adeo premeretur, ut ne capiendi quidem cibum opportunitas daretur, in deſerta loca ſecuritatis & quietis ergo ſecedere decrevit. Occidentalem igitur oram lacus Geneſareth, ubi morabatur, relinquens, una cum Diſcipulis ſuis ad alteram lacus oram venit in ſolitudinem Bethſaidæ. Hæc ad ſuperiorem Galilæam pertinebat, & ad ditionem Philippi, cui Herodes uxorem Herodiadem abſtulerat. Populus, ubi illum conſcenſo navigio lacum trajeciſſe intellexit, pedeſtri itinere lacum circumagens, ac ponte vel lintribus Jordanem tranſvadens, ad eum venit, imo & prævenit, cum Bethſaidam, ſive Juliadem de Juliæ, ſive Liviæ Auguſtæ nomine dictam pervenerit, antequam ille eo appelleretur (*b*). Jeſus e navi deſcendens montem ſubivit; cumque innumerum populum ad ſe venientem vidiſſet, miſeratus illorum, ait Philippo: Unde panes his ſaturandis ememus? Quod dixit, fidei Apoſtoli periculum facturus, cum ipſe optime noſſet, quid mox facere vellet.

N 4 Re-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. Somn. l. 1. c. 2. n. 9. Joſeph. Antiq. l. 18. c. 2. Philo de

(*b*) Matth. XIV. 13. Marc. VI. 31. Jo. VI. 1.

Reſpondit Philippus, tametſi panes ducentis denariis emerentur, vix ſingulas ſingulis bucellas poſſe diſtribui. E monte deinde deſcendens, factuſque turbis obvius Salvator, primo ægris valetudinem reſtituere, tum populum doctrinis imbuere cœpit. Poſt concionem, Jeſum monuere Diſcipuli, diem in veſperam declinare, quamobrem dimittendam eſſe multitudinem, quo ſinguli ad vicinos vicos divertentes de cibo ſibi providerent. Jeſus autem, nihil eſſe dixit, cur irent; ſufficerent ipſi ſingulis cibos: interrogavitque ſimul, quot panes in promptu haberent? Cumque ab Andrea, quemdam puerum quinque tantum panes hordeaceos, duoſque piſces habere, renuntiaretur, juſſit Jeſus, ut illi ſibi afferrentur, & populus interim per centenos & quinquagenos diſtributus ſuper fenum diſcumberet. Panes deinde ac piſces in manibus tenens, Deum a laude & gratiarum actione exorſus, ut multiplicarentur, exoravit; fractiſque confeſtim illis, ac inter Apoſtolos diſtributis, ut ſingulis ex eo commeatu ſufficerentur neceſſaria, præcepit. Erant autem quinque virorum millia, præter feminas & pueros, quos fames vexabat; tantæque multitudini pauci illi panes & piſces nedum ſuffecere, ſed ex reliquiis duodecim cophini impleti ſunt.

Chriſtus delatum ſibi a Judæis Regnum recuſat.

VI. Viſo tanto miraculo, turbæ dicebant: *Hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in Mundum*, ſcilicet Propheta a Moyſe prædictus (*a*); mutuiſque conſiliis decrevere illum in Regem eligere, excuſſo Herodum & Romanorum Imperio.

(*a*) Deuter. XVIII. 15.

perio. Cum illi Meſſiam, in univerſo Iſraele regnaturum, abſolutæque libertatis auctorem præſtolarentur, autumabant, Jeſum, ea dignitate inſignem, id ſolummodo expectare, ut illi conſpirarent, futurum deinde conſpirationis Ducem, conceptaſque animo victorias, & Regnum acquiſiturum. Ea erat & Apoſtolorum perſuaſio, quæ illos ad Spiritus ſancti uſque illapſum occupavit. Porro Jeſus probe noſcens eorum conſilium, juſſit Diſcipulis, mare, conſcenſa navi, iterum trajicerent, ſe ſe Bethſaidæ expectaturi; dimiſſiſque turbis, in montem, unde deſcenderat, fugit, ubi maximam noctis partem orando exegit. Cur autem delatam ultro dignitatem fugit? Nonne facilius ille Judæos convertiſſet, ſi illorum Regem ſe ſe diceret, impleretque ideas de temporali Meſſiæ Imperio, quibus innutriti fuerant? At ceſſaſſent inimicorum odia, idque Dei conſiliis contrarium fuiſſet, illud volentis, ut morte & ſanguine Meſſiæ Mundus expiaretur, & laboribus & patientia Eccleſia conderetur. Ad hæc docere voluit exemplo modeſtiam, fugamque dignitatum; vitare denique quicquid ſeditionem ſaperet, ne conſtituta a Deo Imperia detrectare videretur.

Jeſus & Petrus ſuper aquas gradiuntur.

VII. Apoſtoli in medio lacus contra refluentes ventos, averſoſque fluctus verſus Bethſaidam nequicquam tendentes, iter vertere ad Tiberiadem cœperunt. Non longius a litore, quam 25. vel 30. ſtadiis aberant, cum circa quartam noctis vigiliam hominem mare pedibus obambulantem, ipſoſque prætergredi conantem, videre ſibi viſi ſunt. Phantaſma ſuſpicati, continuo

nuo

nuo ingentem emiſerunt vocem. Sed Jeſus ſe eſſe oſtendens, illos confirmavit. Tunc Petrus rogavit, ut ad illum ſuper aquas venire permitteretur. Annuente Jeſu, ille viam inivit; ſed mox immanis cujuſdam fluctus ſeu verticis objectu turbatus, undas ſtatim ſub pedibus recedere ſenſit; quare Magiſtrum, ut opem ſibi ferret, poſtulavit. Jeſus autem ſtatim accurrens, porrectaque illi manu laborantem reſtituit, ſimulque imbecillioris virum fidei increpavit. Rogantibus autem diſcipulis, navigium Jeſus una cum Petro conſcendit, quem nautæ omnes, ceterique præſentes adoraverunt, Meſſiam faſſi: *Vere Filius Dei es*; ſtatimque ceſſante vento ad littus, ubi erat Geneſareth, ſive Tiberias, delati ſunt omnes. Quod ubi indigenæ reſcierunt, ægros omnes undique conquiſitos ad Jeſum adduxerunt, rogantes, ut fimbriam veſtimenti illi tangere permitterentur. Nemo autem fuit qui tangeret, & non ſanaretur (*a*).

Chriſtus Panem cæleſtem ſe dicit. Alii aliter a Deo vocantur.

VIII. Interim multitudo, quam paverat Chriſtus, ea perſuaſione, quod ipſe in deſerto Bethſaidæ perſtitiſſet, quippe quæ noverat illum cum Diſcipulis in navim non introiiſſe, nec alia navi uti potuiſſe, locum ſcrutabatur, ut inventum tandem Regem conſtitueret. Certiores tamen facti a venientibus Tiberiade, illum eodem perveniſſe, actutum conſcenſis navibus, mare trajecerunt, ut ad illum pergerent. Verum eo temporis ſpatio Jeſus Capharnaum perrexerat; quare ad urbem illam iter & ipſi direxerunt; nactumque Magiſtrum in Synagoga, qui illuc veniſ-

(*a*) Matth. XIV. 13. Marc. VI. 47. Jo. VI. 16.

niſſet, interrogarunt. Quibus ille reſpondit: Ut me quæratis, cupiditas & ſpes ciborum a me vobis exhibendorum impellunt, non fides & amor, quibus promovendis prodigia palam edidi. Me ſequentes, non mortalem terrenumque panem ac cibum quærere opus eſt, ſed incorruptum cæleſtemque, quem ego, a Patre miraculorum gloria inſignitus, vobis parabo. Rogantibus autem, ecquid exigeret, ut illius pane digni efficerentur; Volo, inquit, ut me a Deo miſſum in Mundum credatis. Tum illi: Quid prodigii edidiſti, quo tantam fidem ex nobis extorqueas? Nihil adhuc tale feciſti, quale Moyſes in deſerto, cum cæleſti Mannæ pane patres noſtros per annos quadraginta aluit. Refellit Judæos Chriſtus docens, Manna non a Moyſe, neque e Cælo majoribus ipſorum datum, ſed a Deo, & e nubibus; nunc viciſſim a Deo, atque e Cælo ipſis revera panem exhibitum, ex quo vitam ſumere poſſint non illi tantum, aut una & altera gens, ſed Mundus univerſus. Da nobis, exceperunt Judæi, non ſemel, aut bis, ſed ſemper panem hunc Manna nobiliorem. Et Jeſus: Præſto eſt panis; qui mihi adhæret, meamque ſuſcipit doctrinam, is abſolutiſſime ſatiabitur, ut amplius non eſuriat, neque ſitiat. Panem profecto in me habetis, uti monui, ſed illum non manducatis, quod in me non creditis. Idcirco autem mihi fidem adhibere detrectatis, quia ex illis non eſtis, quos mihi dedit Pater. Si enim eſſetis, accederetis utique, nullumque ego rejicerem, cum in Mundum venerim, ut illius voluntati per omnia obſequar.

Cer-

Certiſſima autem Dei voluntas eſt, ut omnes, quos ipſe tradidit mihi, ad reſurrectionem uſque deducam, & vitam æternam conſequantur (*a*). Advertunt hic Theologi, neminem excuſari poſſe, ſi ad Chriſtum non convertatur; Pater enim omnibus ſua auxilia præbet, omneſque ad Fidem vocat; ſed plures ex illis negligunt. Unde illa querela: *Vocavi, & renuiſtis* (*b*). Poteſt ille quidem omnipotenti ſua virtute refractarias omnium voluntates frangere; ſed tantum beneficium nemini debetur, eoque præterea indignus eſt animus pervicax, & ingratus. Una eſt etiam omnium Catholicorum vox, Eccleſiam ex electis reprobiſque coaleſcere, inque illius agro triticum lolio admixtum ſuccreſcere, donec alterum ab altero ſecernatur (*c*). Quid igitur colligendum? Nullum ex iis, quos a Patre prædeſtinatos accepit Filius, periturum; ceteros vero ob ſuam ipſorum culpam damnandos.

Obloquentes Judæos Chriſtus reprehendit.

IX. Scandalizati Judæi, quod Chriſtus ſe ſe panem e Cælo lapſum, majoremque Moyſe prædicaret, de parentum, & originis illius humilitate obloquuti ſunt. Obloqui autem vetavit Chriſtus, adjecitque: Nemo unquam mihi fidem adhibebit, niſi Pater cæleſtis illius cordis duritiem emollierit, ejuſque ignorantiam Dei Spiritus depulerit. Nec tamen expectandum propterea vobis eſt, ut corporea ſub ſpecie ſe ſe ipſe Magiſtrum exhibeat. Ego dumtaxat illum vidi, communemque cum eo ſcientiam habeo. Quare ſi ipſum audire optatis, me audite, futurumque certiſſime ſpondeo, ut qui in me credit, vitam conſequatur æternam. X.

(*a*) Jo. VI. 26. XIII. 24. Matth. XXIII. 37.
(*b*) Prov. I. 24. Luc. (*c*) Matth. XIII. 27.

X. Poſtquam docuit turbas Chriſtus, ſe panem eſſe vivificum, e cælo lapſum, expoſuitque, qua ratione animorum cibus fieret, gradum facit ad alterum nutriendi modum, multo perfectiſſimum ac ſublimiſſimum, quam quem hactenus explicavit; veram ſcilicet Corporis & Sanguinis ſui comeſtionem in Sacramento, quod ipſe ſub panis & vini ſpeciebus in ſuprema cœna inſtituturus erat, nobiſque relicturus. Sermonem igitur ſuum proſequens Jeſus: Quantumvis, ait, magnum mannæ prodigium, quo majores veſtri paſti ſunt in deſerto, minimum certe eſt, ſi cum eo comparetur, quod ipſe in hominum mihi credentium commodum edam. Manna enim homines mortis expertes non faciebat; qui contra panem a me oblatum, ea qua decet animi præparatione comedent, nedum animæ robur, quo ad vitam æternam beatamque in Cælis pervenitur, ſed etiam immortalitatis principium, radicemque reſurrectionis corporis in eo invenient. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita*. Albertinus aliique Novatores cæleſtis Panis nomine Inſtitutiones Chriſti, Fidem, Evanlium, Gratiam intelligunt, omnia ad figuram, & allegoriam referentes. At Panis, quem promittit Chriſtus, eſt ſua ipſius caro, quam daturus eſt in Crucem pro Mundi vita. Hanc dubio procul figurate non dedit; eamdem igitur figurate non promittit. Ad hæc, turbæ auditis Chriſti verbis dicebant alter ad alterum: *Quomodo poteſt carnem ſuam dare ad manducandum* (*a*)? An ſe ipſum in fruſta concidet? Quis humana car-

Chriſtus Euchariſtiam promittit.

(*a*) Jo. VI. 48.

carne veſci poteſt? Fac autem, quis poſſit; qui vi carnem ipſe ſuam multiplicabit, ut partem unicuique diſtribuat? Quo tandem pacto is vivet, lacerato corpore, & membratim conciſo? Si figuratam ac ſpiritalem dumtaxat comeſtionem intellexiſſet Chriſtus, uno tantum verbo litem ſolvere, & obloquentium jurgia compeſcere poterat, modo dixiſſet, ſe de comeſtione figurata, & allegorica loquutum fuiſſe. Chriſtus ſane non ſemel, ubi animadvertit ſermonibus ſuis ob verborum æquivocationem gigni aliquod dubium, hoc ſtuduit ſtatim evellere, prout fecit cum Nicodemo explicans quid ſit ſpiritualiter renaſci (*a*); cum Diſcipulis hæſitantibus circa ea verba: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis* (*b*); cum Pilato dicens, *Regnum meum non eſt de hoc Mundo* (*c*). Joannes ipſe ceteris Evangeliſtis accuratior, ſi quid tropice a Domino dictum fuit, adjecta explicatione notavit, ut videre eſt, ubi Chriſtus ait: *Solvite Templum hoc* (*d*): *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent* (*e*): *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum* (*f*); primum enim Joannes retulit ad Templum corporis Chriſti, alterum ad Spiritum ſanctum, ultimum ad Crucem. Contra tamen hic, Joannes nihil omnino addit, Chriſtus vero dicta confirmat, eamdemque de reali comeſtione ſententiam verbis expreſſioribus repetit, inquiens: Non ſatis eſt quod dixerim

(*a*) Jo. III. 5.
(*b*) Jo. IV. 34.
(*c*) Jo. XVIII. 36.
(*d*) Jo. III. 21.
(*e*) Jo. VII. 39.
(*f*) Jo. XII. 23.

rim, me Carnem meam in cibum vobis exhibiturum; quin & futurum minitor, vos minime habituros vitam, niſi manducaveritis carnem Filii Hominis, & ejus ſanguinem biberitis. His vita æterna; & e ſepulcro ad cæleſtem felicitatem tranſitus comparatur. Tandem addidit: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*; quibus ego cum hominibus conjungor, & illi mecum; arctior enim nullus eſt conjunctionis modus, quam qui fit per ciborum comeſtionem. Ego in Patre vivo, Pater in me, cum eadem ſit utrique vita. Qui carnem meam comedit, meumque ſanguinem bibit, pariter in me vivet, & ego in illo, ob tanti myſterii participationem.

Chriſtus carnalem Capharnaitarum ſenſum reprobat.

XI. Non Capharnaitis modo, ceteriſque elapſo die a Chriſto paſtis, tunc in Synagoga præſentibus, doctrina, quam de vera realique Corporis & Sanguinis ſui comeſtione Jeſus tradebat, diſplicuit, ſed ex Diſcipulis etiam multi ea offenſi ſunt, nulloque modo aſſequentes, qua ratione datam fidem eſſet liberaturus, dicebant: *Durus eſt hic ſermo; & quis poteſt eum audire?* Scite ait Auguſtinus: *Ipſi erant duri, non ſermo* (*a*). An infinitas Deo vires eſſe ignorabant? Nonne recens viderant quid Chriſtus poſſet, panibus quinque divinitus multiplicatis? Clam illis obmurmurantibus, divina tantum cognitione murmur illorum Jeſus intellexit, ſeque intellexiſſe, aperuit; quod ſatis eſſe debuit, ut illum eſse Deum agnoſcerent, nihilque adeo arduum & difficile, quod illius vires ſuperaret. Quare excepit: Mihi igi-

(*a*) Aug. in Pſalm. xcviii.

Digitized by Google

igitur non creditis? Meique ſermones vobis ſcandalo ſunt? Anne hac prava habitudine eritis, cum me redivivum, & in Cælum, ubi prius eram, aſcendentem videritis? *Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quicquam* (*a*). Quorum verborum non una eſt explicatio. Caro mea a Divinitate ſejuncta neque ſanctitatem affert, neque vitam: at Divinitas cum humanitate conjuncta utrumque præſtat. Aliter: Fruſtra Caro mea corporea ratione guſtatur, niſi fides, & caritas jungantur. Aliter: Ad ſpiritualem explicationem animos erigite, rudem craſſamque intelligentiam devitantes; neque enim laniandus ſum atque ita diſtribuendus, ut fit in macello. Interpretatio hæc ſimplex maxime ac literalis videtur; caro nempe apud Scripturam pro craſſa alicujus rei explicatione uſurpatur (*b*). Abſoluto ſermone, plerique ex Chriſti Diſcipulis ejus ſequelæ renuntiarunt, ſive quod deſciverint a fide, quam hactenus, Jeſum eſſe Meſſiam confitentes, coluerant; ſive quod ſimulatam hactenus fidem tandem depoſuerint. Quare tunc ab Apoſtolis quæſivit, num & ipſi abire vellent cum ceteris? Cui Petrus, ſe, ſocioſque numquam receſſuros ab eo, qui vitæ æternæ verba loqueretur, ſignificavit; perſuaſum etiam habere omnes, ipſum eſſe Chriſtum Filium Dei. Tunc Chriſtus: Ego tamen ſcio, unum e duodecim, quos mihi in Apoſtolos delegi, Diabolum fore. Porro his Judam innuebat, quem avaritiæ Dæmon jam occuparat.

(*a*) Joan. VI. 64. VIII. I. & 6.
(*b*) Jo. VIII. 15. Rom.

FINIS
TOMI SEXTI.

MAG 757

Digitized by Google